COMMENTARIUS

IN

PROOEMIUM BREVIARII ET MISSALIS

DE COMPUTO ECCLESIASTICO

USUI CLERICORUM ACCOMODATUS

AUCTORE PRESBYTERO.

EDITIO SECUNDA
Auctior et emendatior.

35 ½

ATREBATI
TYPIS ROUSSEAU-LEROY, BIBLIOPOL.

PARISIIS
APUD PUTOIS-CRETTÉ
Via vulgo dicta Bonaparte, 39.

ŒNIPONTE
APUD FELICIAN. RAUCH,
BIBLIOPOL.

1864

Reverendo Patri Heller S. J.
Oenipontani Convictus quond. praefecto,
in grati animi significationem
Oeniponte 17/III 65 N. Nilles

COMMENTARIUS

DE COMPUTO ECCLESIASTICO

APUD EOSDEM BIBLIOPOLAS :

COLLECTIO

DECLARATIONUM CARDINALIUM

S. CONCILII TRIDENTINI

INTERPRETUM

AUCTORE J.-F. ZAMBONI

EDITIO RECENTIOR

IV VOL. IN-4°. QUOR. ACCEPT. PRETIUM FR. 50.

Arras. — Typographie Rousseau-Leroy, rue Saint-Maurice, 26.

COMMENTARIUS

IN

PROOEMIUM BREVIARII ET MISSALIS

DE COMPUTO ECCLESIASTICO

USUI CLERICORUM ACCOMODATUS

AUCTORE PRESBYTERO.

S. J.

(N. Nilles)

EDITIO SECUNDA

Auctior et emendatior.

ATREBATI

TYPIS ROUSSEAU-LEROY, BIBLIOPOL.

PARISIIS

APUD PUTOIS-CRETTÉ

Via vulgo dicta Bonaparte, 39.

OENIPONTE

APUD FELICIAN. RAUCH,

BIBLIOPOL.

1864

IMPRIMATUR.

Atrebati, die 15 Octobris.

† P.-L., ep. Atrebat.
Bolon. et Audom.

INDEX

RERUM QUÆ IN COMMENTARIO CONTINENTUR.

COMMENTARIUS

IN

PROŒMIUM BREVIARII ET MISSALIS

DE COMPUTO ECCLESIASTICO.

CANONES DE COMPUTO DISCENDO.

Computum, quem *Walterus Aurelianensis* generatim *calculandi peritiam* dixit, scriptores ecclesiastici cum *Durando* (*Rational. lib. VIII. c. I.*) definiunt *notitiam cursus lunæ ac kalendarum, seu scientiam certificandi tempus secundum solis et lunæ progressum.* Quæ quidem methodus a Græcis ψηφισμὸς τῶν τοῦ ἡλίου καὶ τῆς σελήνης ἐτῶν dicitur. In computo autem præsertim declarantur tempus Paschatis, cyclus decemnovennalis, epactæ bissextus, quatuor tempora, kalendæ, idus, et alia hujusmodi. A variis hisce temporibus, agendi Paschatis præsertim, *computandis* etiam *computisticæ* nomen computus traxit, a *describendis temporibus* vero in dies partesque minores, in hebdomades, menses, annos et annorum periodos *Chronographia* vulgo appellatur.

Computus seu chronographia differt tam a chronologia quam ab historia; in computo enim universum tempus tum futurum, tum præsens ac præteritum describitur; ast nulla nisi præteriti temporis utì historia sic chronologia esse potest.

Doctrina seu *scientia temporum* pressius accepta utramque (chronographiam ac chronologiam) continet, quamvis non semper eo distinctionis sensu usurpetur.

Dici vix potest, quanta cum sollicitudine curatum per veteres canones sit, ut presbyteri notum haberent computum ecclesiasticum; etenim statuta ecclesiastica pene omnia illum

1

clericis summa cura ediscendum præscripserunt, nimirum ut eo pacto invenire facile possent epactas, literas dominicales, festum Paschatis et alia festa mobilia per annum. Unde strictum imperium Capitularis *Caroli M. De Compoto ut veraciter discant omnes.* (*Capit. lib. VI. c.* 226. *coll. lib. I. c.* 68. et *lib. IV. addit.* 1. § 5.—*Patrol. Migne, t.* 97. *p.* 283.) Quod breviter et *Herardus*, archiepiscopus Turonensis, in suis *Capitulis* inculcat, *cap.* 125. præscribens, *ut presbyteri computum discant.* (*Patr. Migne, t.* 121. *p.* 773.)

Cum Carolo M. atque Herardo mire consentiunt quotquot per ea tempora ac deinceps ecclesiasticæ disciplinæ regulas tradiderunt, ut adeo *Ludovicus Cellotius* in notis *ad. c.* 22. *Cap. Walteri Aurel.* vere dixerit, episcopos notitiam computi ecclesiastici presbyteris et clericis pene non minus necessariam censuisse, quam orationem dominicam et symbolum. Ex eorum statutis hæc attulisse sufficiat.

Ratherius, Episcopus Veronensis, in *synodica ad presbyteros* statuit, ut *computum minorem, id est epactas, concurrentes, regulares; terminum Paschalem et reliquos, si est possibile, sapiant.* (*Patrolog. Migne, tom.* 136. *p.* 564.)

Regino, abbas Prumensis, in capitulis *Inquisitionis, cap.* 92. per visitatorem inquiri jubet, *si computum minorem, id est epactas, concurrentes, regulares, terminos Paschales et reliquos sapiat presbyter?* (*Patr. Migne, t.* 132. *p.* 191.)

Hincmarus, archiepiscopus Rhemensis, in *Capitulis synodicis an.* 852. *cap.* 8. vult, ut presbyteri *de computo etiam necessario plenissime instruantur.* (*Patr. Migne, t.* 125. *p.* 775.)

Walterus sive *Gualterus, episcopus Aurelianensis*, in *Capitul. cap.* 22., quod est *de Computo discendo*, a presbyteris exigit, *ut calculandi peritiam habeant et suos* (clericos) *in idipsum studiose erudiant.* (*Patr. Migne, t.* 119. *p.* 744.)

Ahyto (qui aliis *Haito, Heito, Haido* nucupatur), *episcopus Basileensis* in *Capitulari* Ecclesiæ suæ, quod vigenti quatuor constat capitulis, declarat *sexto, quæ ipsis sacerdo-*

tibus necessaria sunt ad discendum, id est: Sacramentarium, Lectionarium, Antiphonarium, Baptisterium, COMPUTUS, *Canon pœnitentialis... Ex quibus omnibus si unum defuerit sacerdotis nomen vix in eo constabit.* (*Patrol. Migne, tom.* 115. *p.* 11.) Qui canon etiam prostat apud *Burchardum, episcopum Wormatiensem*, tum *Decret. lib. II. c.* 2*: Quæ presbyteri necessario discere et scire debeant?* (*Patrol. Migne, tom.* 140. *p.* 625.), tum *Decret. lib. XIX. c.* 8. ubi sic proponitur: *Nunc ergo, o fratres, qui voluerit sacerdotis nomen habere, in primis propter Deum cogitet, ut discat ea quæ necessaria sint, antequam manus episcopi caput ejus tangat, id est Psalterium... Computum... Istud est simpliciorum, quia si unum defuerit, etc.* (*l. c. p.* 979.) Habetur item apud *S. Ivonem, episcopum Carnotensem, Decret. part. VI. c.* 22. (*Patrol, Migne, tom.* 161. *p.* 450.), et *Panorm. lib. III. c.* 24. (*l. c. p.* 1135.), ac tandem relatus est in *Decret. Gratiani c.* 5. *dist.* 38. his verbis : *Quæ sint sacerdotibus necessaria ad discendum? Quæ ipsis sacerdotibus necessaria sunt ad discendum, id est liber sacramentorum, lectionarius, antiphonarius, baptisterium*, COMPUTUS, *canon pœnitentialis, psalterium, homiliæ... Ex quibus omnibus si unum defuerit, sacerdotis nomen vix in eo constabit : quia valde periculosæ sunt evangelicæ minæ, quibus dicitur:* « Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt. »

Episcopos porro nunquam non solerter providisse ut canones servarentur utque nullus presbyterorum ignoraret computum, variæ *admonitiones synodales* testantur, quas ex antiquissimis libris Pontificalibus collectas exhibet *Migne, Patrolog. tom.* 132. *a pag.* 458. *ad pag.* 462. Harum prima seu *antiqua*, a diacono post Evangelium legenda, sic habet: *Computum, si non majorem, saltem minorem, id est epactas, concurrentes, regulares, terminos Paschales et reliquos, si est possibile, sapiat* (*l. c. p.* 458). Aliæ duæ, *nova* et *novissima*, quæ ab ipso episcopo sedente in faldistorio legebantur,

clericis illud ipsum injunxerunt hisce omnino verbis : *Ut computum minorem ad inveniendum literam dominicalem, tempus intervalli diei Paschæ et majorum mobilium festorum non ignorarent* (*l. c. pp.* 460. et 461.).

Nec alienam ab ecclesiasticis sanctionibus legem vitæ doctrinæque secuta est schola ; cujus rei locupletissimos testes habemus celeberrimarum Universitatum statuta, peritissimorum juris interpretum commentarios, doctissimorum, qui per ea sæcula floruerunt, virorum elogia. E singulis hisce testium ordinibus unum produxisse satis sit.

Antiqua statuta *Facultatis artium academiæ Vindobonensis tit.* XII., qui est *de iis, ad quæ Baccalorii Facultatis artium tenentur,* § *ult.* sic habent : *Baccalarii nostræ Facultatis disputent, legant gratis et propter Deum computos et alia mathematicalia, præcipue tamen Ecclesiæ Catholicæ deservientia.* (*Pet. Lambec. Bibliothec. Cæs. lib.* II. *p.* 212.)

Guilielmus Durandus, juris utriusque doctor celeberrimus et episcopus Mimatensis in Gallià Aquitanica, ob *Speculum juris* tribus voluminibus editum *Speculator* vulgo dictus (1), in eximio suo *Rationali divinorum officiorum,* quod absolutum est an. 1286, ut ex *lib.* VIII. *c.* 9. apparet (2), doctrinam *canonis Decreti Gratiani citati* « *Quæ ipsis* » suam faciens, *lib.* VIII. *c.* 1, *Sacerdotes*, inquit, *computum scire tenentur, alioquin vix eis nomen sacerdotis constabit.*

Demum adeo laudata illa computi peritia in *venerabili Beda,* in *Rabano Mauro* aliisque palam facit, in ea magnam scientiæ partem scriptoribus ecclesiasticis visam esse consistere. Sic et Joannes, abbas S. Arnulphi Metensis, in cæteris laudibus, quibus beatum *Joannem*, abbatem Gorzien-

(1) Cfr. *Doujat Prænot. canon. lib.* V. *cap.* 5.

(2) De antiquissima versione Rationalis Durandi in linguam germanicam an. 1384. (*Die Auzlegunge und Sache der gotleichen Ampte*) videsis *Lambec. de Bibliothec. Cæsar. lib.* II. *c.* VIII. *p.* 778.

sem, cumulat, et illud reponit, quod *regulas supputationum temporalium memoriæ vivaciter ut nemo superius commendaverit.* (*Patrol. Migne, tom.* 137. *pag.* 251.)

Et hæc quidem de jure antiquo. Ad *jus novum* quod spectat, res quoque testatissima est, computi ecclesiastici, kalendarii, termini Paschalis atque ordinandorum festorum notitiam hodieque a clericis exigi. *Juvenes in seminariis recepti,* — verba sunt concilii Tridentini *sess.* 23. *c.* 18. *de Reformat.*,— *cantus, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium disciplinam discent.*

De valore hujus Tridentinæ sanctionis autem nihil esse per contrariam consuetudinem detractum, ex variis Summorum Pontificum constitutionibus, necnon ex continuis præstantissimorum jurisperitorum commentariis intelligimus.

Pontifices quippe epistolis suis commonitoriis ad episcopos Tridentini decreti executionem urgere nunquam omiserunt. Sic *Benedictus PP. XIII. Constitut. Creditæ nobis* VII *Idus maj.* 1725. de studiis clericorum in seminariis agens, hunc in modum statuit: *Postremo saluberrimæ præfati Concilii dispositioni inhærentes volumus, præcipimus et sancimus, ut in omnibus seminariis tam hactenus erectis, quam imposterum erigendis alumni grammatices, cantus Gregoriani, computi ecclesiastici aliarumque bonarum artium tantum disciplina erudiantur.* Cujus constitutionis diligentem observationem inculcat Concilium Romanum ejusdem anni *tit.* 30. *de Magistris*, eamque, accurate in omnibus sequendam, in Appendice exhibet sub *n.* 27. *pag.* 287. seqq. Habetur etiam apud *Nicollis Praxis canonica tom.* I. *de Censibus*, *n.* 23. Conf. quoque *Benedict. PP. XIV. Constitut.* 2. *tom.* I. *Bullar. Benedict. XIV.*

Ex doctoribus tandem qui, rationem studiorum in clericis instituendis declarantes, ex mente concilii Tridentini computum ecclesiasticum doceri in seminariis debere ex-

pressis verbis tradunt, legi præter alios possunt *Barbosa ad cit. c.*; *Ant. Possevin. Bibliothec. select. lib.* IV. *c.* 12. § 6. *coll. C.* 16. § *ult.*; *Card. Brancati de Laurea, Epitome canonum, verb. Clericorum seminaria*, § *Pueri autem*; *Rodrig. Fermosini tract.* I. *Crim. in C. Quia nonnullis* 4. *de Magistris* (V, 5), *quæst.* 1. *n.* 19; *Zeroli Prax. Ep. part.* I. *verb. Seminarium*; *Leop. Pilati Origin. juris Pontificii lib.* III. *tit.* 9; *Devoti Institut. lib.* II. *tit.* II. § III.

Jure optimo igitur præsules nostri in seminariorum statutis præscribunt, ut clerici sacræ Theologiæ auditores computo instituantur, in primis vero illis materiis summa cum cura erudiantur, quæ ad usus ecclesiasticos atque ordinanda festa mobilia necessaria sunt.

DE ZODIACO CÆTERISQUE DECEM CIRCULIS COELUM AMBIENTIBUS.

CAPUT PRÆAMBULUM.

1. *Circulus*, a *circus* diminutive dictus, generatim omnem rotundum ambitum seu figuram planam ex linea in orbem ductam significat, ut in illo *Ciceron. de Nat. D. II.* 18: *Quumque duæ formæ præstantissimæ sint : ex solidis globus, sic enim spheram interpretari placet ; ex planis autem circulus seu orbis.* Astronomis autem circuli sunt zonæ seu orbes in cœlo, quos ipsi constituunt ad certos cœlorum fines describendos et siderum motus explicandos.

Circi seu circuli cœlestes undecim numerantur, nimirum *Zodiacus* seu *Signifer*, *Lacteus*, *Æquinoctialis*, *duo Tropici*, *duo Polares*, *duo Coluri*, *Meridianus et Horizon.* (*Macrob. in Somnium Scipionis lib. I. c.* 15.)

2. *Zodiacus*, ζωδιακός, ζωΐδιος, ζωοφόρος, est circulus in cœlo ex numero maximorum, vel potius zona aut armilla quædam,

quæ duodecim illa signa continet, quæ sol et luna et alii planetæ motu proprio percurrunt.

Rationem vocabuli *zodiaci* declarans *Macrobius* l. c. cap. 21. ait : *Quia signa græco nomine* ζώδια *nuncupantur, circum ipsum zodiacum quasi signiferum vocaverunt.*

Alii a ζῶον zodiacum deducunt, quod signa aliquo nomine animalis vocentur atque ita disponantur constellationes, ut animalis, a quo nomen habent, formam referre videantur. Animalium nomina hisce versibus comprehenduntur :

Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
Hæc sunt signa poli, quæ semper sunt via cœli.

Rationem vero, cur singula zodiaci signa ab istis animalibus denominentur, ex eo ducunt quod sol per anni decursum illius animalis proprietates sortiri videatur, cujus signum ingreditur, ut pluribus exponit *Guilelm. Durand. Rational. divin. Offic. lib. VIII. c.* 3. Alii zodiacum appellasse videntur ἀπὸ τῆς ζωῆς, *a vita*, quod sol per hanc cœli fasciam vectus lumen vivificum creaturis præbeat et sit ζωοφόρος, id est non tantum signifer, verum etiam *vitæ lator et dator.*

Zodiacum *zonam* aut *armillam* quamdam cœlum ambientem diximus ; quamvis enim natura cœlestium circulorum incorporalis sit linea, quæ ita mente concipitur, ut sola longitudine censeatur, latum habere non possit, in zodiaco tamen latitudinem signorum capacitas exigebat. Quantum igitur spatii lata dimensio porrectis sideribus occupabat, duabus lineis limitatum est, et tertia ducta per medium *ecliptica* vocatur, quia quum cursum suum in eadem linea pariter sol et luna conficiunt, alterius eorum necesse est venire defectum : solis, si ei tunc luna succedat ; lunæ, si tunc adversa sit soli. Quamvis igitur trium linearum ductus zodiacum et claudat et dividat, unum tamen circum auctor voca-

bulorum dici voluit antiquitas, teste *Macrobio l. c. cap.* 15.

Zodiacus igitur astronomis et mathematicis proprie est circulus major, obliquo meatu ambiens cœlum, super propriis polis descriptus, ita ut et duobus locis æquinoctialem intersecet ad angulos obliquos tangatque una parte tropicum Cancri, ex altera tropicum Capricorni in uno puncto, habens item longitudinem sectam in duodecim partes seu sidera, quæ vocantur *signa*, in animalium formam plerumque formata, et latitudinem tribus lineis parallelis comprehensam, quarum media (*ecliptica*) octonis graduum intervallis ab utraque extremitate distat.

Concipiunt autem hunc circulum ex motu solis præcipue, quod is quotidie fere unum gradum in eo absolvat et triginta diebus prope integrum signum percurrat. Sub eo tamen et alii planetæ perpetuo moventur; nam *cohibet vario labentiā sidera cursu*, ut ait *Manilius, lib.* I., ubi zodiacum, quem *stellatum balteum* vocat, prolixe describit.

Ingressus solis in signa zodiaci hic esse censetur: Signum *Arietis* sol ingreditur 21. martii; signum *Tauri* 21. aprilis; signum *Geminorum* 22. maii; signum *Cancri* 22. junii; signum *Leonis* 23. julii; signum *Virginis* 22. augusti; signum *Libræ* 23. septembris; signum *Scorpii* 24. octobris; signum *Sagittarii* 22. novembris; signum *Capricorni* 22. decembris; signum *Aquarii* 21. januarii; signum *Piscium* 19. februarii. Legatur *Ven. Beda de Temporum ratione cap.* 16. (*Edit. Migne. Op. tom.* 1. *pag.* 358. *seqq.*) (1).

(1) Quo die cujuslibet mensis sol in signa Zodiaci ingrediatur, veteres chronographi usitatis hisce versibus expresserunt:

Inclita laus justis impenditur: hæresis horret;
Grandia gesta gerens felici gaudet honore.

Duodecim harum dictionum prima inservit januario, secunda februario, tertia martio, etc. Jam vero, si numerus, quem prima litera in alphabeto habet, ex 30 subtrahatur, restat ipse dies quo sol signum zodiaci ingreditur. Sic quum prima litera tertiæ dictionis *justis* nonum locum

3. *Circulus* seu *orbis lacteus*, *via lactea*, est veluti fascia in cœlo, in meridiem porrecta, candidior cæteris partibus, unde et nomen habet. (*Ovid Metamorphos.* I, 168; et *Cic. Somnium Scipionis.*) *Macrobius*, Ciceronis verba exponens, de causis candoris viæ lacteæ plura disserit in *Somn. Scip. l.c. cap.* 15.

4. Quinque alii circuli, qui axem mundi habent pro centro omnique ex parte a se invicem æqualiter distant, *paralleli* vocantur. (*Macrob. l. c.*) Horum medius et maximus est *æquinoctialis*; duo extremitatibus seu polis vicini atque ideo breves, quorum unus *polaris septentrionalis* seu *arcticus* dicitur, alter *australis* seu *antarcticus*, priori recta oppositus. Circulus *arcticus* nobis, quibus sphæra obliqua est et latitudo septentrionalis, conspicuus est; antarcticus non apparet. Inter hos et medium duo sunt *tropici*, majores polaribus, æquinoctiali minores.

5. *Æquinoctialem circulum æquatorem* vocant astronomi, quod dies æquat noctibus.

Æquinoctialis circulus in cœlo, inquit post *Varr.* (*Ling. lat. VIII*, 18.) *S. Isidorus* (*Etymol. lib.* III. 44), *ideo appellatur, quod sol, quum ad eum orbem pervenerit, æquinoctium facit. Æquinoctium*, ἰσημερία (proprie *æquidium* [1]) enim tempus illud dicitur, quo dies et noctes horarum spatio æquales sunt. Duo sunt autem æquinoctia: *vernum* juxta kalendarium Julianum circa VIII. kalend. apriles, h. e. 25. martii (2), quod in signo Arietis conficitur: *autumnale* X.

in alphabeto obtineat, si subtrahantur 9 ex 30, remanent 21. Sol ergo in Arietem ingreditur 21 martii.

(1) Si verbum ipsum redderemus, circulus ἰσημερινός potius *æquidialis*, quam æquinoctialis nominaretur, quo modo antiquos locutos tradit Festus his verbis: *Æquidiale apud antiquos dictum est, quod nunc dicimus æquinoctiale, quia nox diei potius, quam dies nocti adnumerari debet. Græci quoque in hoc consentiunt ἰσημερίαν, id est æquidiale dicentes.* Sed Latini jam *æquinoctium* dicunt, non *æquidium*. Græci a die, Latini a nocte nomen fecerunt.

(2) Tempore Concilii Nicæni æquinoctium circa 21. martii contigit;

kalend. octobres, id est 22. septembris in signo Libræ, ob id etiam nomine Libræ designato, quod dies veluti bilance ponderatæ noctibus æquentur.

6. *Tropici* astronomis duo circuli sunt in sphæra, quorum alter zodiacum in signo Cancri tangit, alter in signo Capricorni. Dicuntur autem *tropici* a τρέπω, *verto*, quia nimirum sol, quum ea signa tetigit, revertitur et anni mutationem facit. Eos *Plinius* (II, 70.) *solstitialem* et *brumalem* vocat.

7. *Coluri* duo circuli sunt in cœlesti sphæra, transeuntes per polos mundi seque mutuo ibi rectis angulis secantes, quorum alter transit per puncta æquinoctialia Arietis et Libræ, et dicitur *colurus æquinoctiorum*, alter solstitialia tangit Cancri et Capricorni, et vocatur *colurus solstitiorum*. Dicti sunt κόλουροι quasi κόλοι τὴν οὐράν, h. e. cauda mutili, quia eorum pars in Antarcticum vergens nobis inconspicua est et quasi trunca. Eis *nomen dedit*, ut ait *Macrobius* (*l. c. cap.* 15.), *imperfecta conversio.*

8. *Meridianus* circulus est, quem sol, quum super hominum verticem venerit, ipsum diem medium efficiendo designat (*Macrob. l. c.*). *Meridies* autem juxta *S. Isidor.* (*l. c. cap.* 42.), *vocatur, vel quod ibi sol facit medium diem, quasi* MEDIDIES, *vel quia tunc purius micat æther.* MERUM *enim* PURUM *dicitur.* Prius etymon *meridiei* a *medio die* Varronis, Ciceronis et aliorum sententia comprobatur; sed aliis philologis non displicet, quod *meridies* a *mero*, h. e. *pleno* et *sincero* die deducatur, quod illo tempore nulla accessio ad lucem amplius fiat. (*Joachim. Camerar. Problem. etym.*)

9. *Horizon*, ὁρίζων, ab ὅρος, *terminus*, vox est græca adjectiva, et *circulus* vel *linea* subintelligitur. Horizontem *Hyginus de Astron.* definit circulum, *qui terminat ea, quæ perspici aut non videri possunt*. *Cic.* (*Divin* II, 44.) *finientem*, *Mart. Capella finitorem* appellat. Dupliciter autem intelligi potest

atque hinc est cur kalendaria ecclesiastica illud diei 21. martii tanquam sedi propriæ affixerint. Sed de hac quæstione postea, n. 89.

vel circulus terram dividens in duas æquales partes quas cum *Isidor.* (*l. c. cap.* 43. [1]) *hemisphæria* dicunt, et quarum una supra sit, infra altera ; vel eam partem tantummodo circumscribens, quæ aspectui nostro patet, quæ multo minor dimidia est. Posteriori hac ratione accipitur a *Macrobio l. c.*

DE ANNO ET EJUS PARTIBUS.

CAPUT I.

TEXTUS PROŒMII. Annus menses habet duodecim, hebdomadas duas et quinquaginta, et diem unum : dies vero trecentos sexaginta quinque et fere sex horas : tanto enim temporis intervallo sol zodiacum perlustrat. Quater autem sex horæ singulis quaternis annis diem constituunt : hinc annus ille *intercalaris*, *Bissextus vel Bissextilis dicitur.*

COMMENTARIUS.

ANNUS.

10. ETYMOLOGIA. Anni quatuor notationes etymologi afferunt : *unam* deductam ab *am* veteri, quod *circum* interpretantur (2), et *no*, quod idem est quod *fluo*, sicque annus juxta Archidiacon. (in *C. Si propter de rescript.*, *in* 6.) quasi *circumiens atque assidue circumfluens* appellatur ; *alteram* ducunt ab *annulo*, eo quod instar annuli in seipsum redeat (*Varro lib.* v, 2. *de Lingua latin.*), et qua hora incipit, resolvatur ac finiatur (*Bartol.* aliique DD. *in leg.* 3. *libellorum ff.*

(1) *Op. s. Isidor.* Edit. *Migne.* tom. I. pag. 174.

(2) *Am*, præpositio loquelaris, ut *Festus* loquitur, h. e. inseparabilis, quæ per se posita nihil significat, in compositione idem valet ac *circum*, ex Græco ἀμφί contracto. Composita cum ea sunt *ambire*, *amplecti*, *anquirere*, etc.

de accusat. et inscriptionibus XLVIII. 2.); aliis dictus videtur a græco ἀνανεύω, *renovo*, quia semper ac continuo fluens renovatur; juxta alios demum etymon habet a verbo ἄνω, *perficio*, litera *n* geminata. Etymologis itaque annus proprie est id quod *perfecte redit in se*, vel quod *in se per sua vestigia volvitur,* ut ait *Virgil. Georg.* II. 401. (1). Indeque est, quod et ab Ægyptiis ante inventas literas annus hieroglyphice indicaretur picto dracone caudam suam mordente et a Græcis diceretur ἐνιαυτός, quasi in seipsum rediens, quæ natura perfecto circulo est.

11. Homonymia. Annus generatim acceptus sumitur universim pro toto illo temporis spatio, quo astra quæque integrum suum sub zodiaco cursum conficiunt, docente *Macrobio in Somnium Scipionis : Annus non est is solum, quem nunc communis omnium usus appellat, sed singulorum seu luminum seu stellarum emenso omni cœli circuitu et certo loco in eumdem locum reditus annus suus est.* (*Lib.* II. *c.* 11.) Itaque *annum planetarium* vocamus quamlibet cujusque planetæ periodicam revolutionem, h. e. tempus illud quo quilibet planeta suum cœlum decurrit.

Pressius acceptum *anni* vocabulum significat *solis conversionem*, qua ab aliquo cardine ad eumdem, aut a zodiaci puncto ad idem revertitur, h. e. totum illud *temporis intervallum, quo sol zodiacum perlustrat* (2), quod spatium est 12 mensium, seu 365 dierum, 5 horarum, 48 minutorum primariorum et 36 minutorum secundariorum (3). Spatium illud quod vocamus *annum solarem*, Romani *annum magnum dicebant*, auctore *Censorino* (*de Die nat.* 119.) vel etiam *annum longum*, ut apud *Ovid. Metamorph.* I. 273. *Tertio* demum

(1) *Redit agricolis labor actus in orbem, Atque in se sua per vestigia volvitur annus.*

(2) Doctrina temporum prorsus abstrahit ab astronomia systematica ; hinc non loquimur nisi de apparentiis, quæ eædem in omni systemate sunt.

(3) Cfr. tamen quæ de media anni longitudine dicuntur n. 17.

sumitur annus pro tempore intra quod *luna* duodecies circulum suum per terram absolvit. Huic spatio *anni lunaris* denominationem fecerunt.

12. *Annus lunaris* (communis), anno solari brevior est 11 diebus et aliquot fragmentis, quum non exæquet nisi 354 dies, 8 horas, 48 minuta primaria et 37 minuta secundaria circiter. Inde vero est, quod eum veteres *annum parvum* vel *brevem* dicerent, teste *Plinio* VII, 48.

13. Divisio anni lunaris. Annus lunaris in *communem* et *embolimæum* distinguitur. *Annus lunaris communis* duodecim lunæ orbibus, quos *lunationes* seu *menses lunares* vocant, constat; *embolimæus* vero, qui ab inserta illa lunatione dicitur, quam supra communem annum habet quamque ἐμβολιμαῖον, ἐμβόλιμον, seu *intercalarem*, *insertam*, *interpositam* vocant, tredecim lunationes complectitur diesque subinde continet 383, horas 21, minuta primaria 34.

14. Annus lunaris item dividitur in *naturalem* et *civilem* seu *politicum*, h. e. usui societatis civilis accommodatum. Plerique omnes populi, qui annis lunaribus utuntur, annum suum per embolimæos seu intercalares menses reducere ad spatium anni solaris solent, exceptis Turcis, qui numerare pergunt annos lunares suæ *Hegiræ* duodecim mensibus seu diebus 354 vel 355 constantes (1). Menses vero semper ab ipsis noviluniorum diebus exorsi sunt et contenti lunari periodo neglexerunt solarem; hinc factum est, ut spatio 33 annorum menses omnes per totum annum vagarentur, nec certi hiberni aut æstivi menses essent, quamvis initio annum suum in æquinoctio vernali inchoassent.

(1) Censent Arabes annum perfici diebus 354, horis 8, et minutis primariis 48; jam vero horas, quæ singulis annis cum minutis primariis residuæ sunt, spatio 30 annorum in dies 11 contrahunt, et quoties horæ collectæ duodenarium excedunt, toties unum diem inserunt, quem *hyperbolicum* vocant. De hegira Turcarum conf. *Petav. de Doctr. temp. l.* 2. *cc.* 38. *et* 39. *l.* 4. *c.* 10. *et l.* 7. *c.* 22.

15. Methodus inveniendi annos embolimæos post excogitatum cyclum novemdecennalem Metonis, de quo *infra, cap.* IV. hæc est :

Lunaris annus communis anno solari communi (Juliano), minor est diebus 11. Ii per annos collecti quum ad 30 dies excreverint, solidus mensis intercalatur. Primus annus residuas dies relinquit 11, addit secundus alios totidem itidemque tertius. Confiunt ex iis dies 33, ex quibus excerpti 30 mensem ἐμβόλιμον *anno tertio* constituunt : reliquum est triduum, ex quo et ex trium insequentium annorum residuis diebus conflantur dies 36, unde mensis integer in *annum sextum* redundat. Restant dies 6, quibus accedunt trium annorum superflui dies fiuntque 39, itaque *nonus annus* embolimæus est (1). Porro reliqui dies 9 ad solidum mensem explendum duorum tantum annorum superfluos dies requirunt, ut *anno undecimo*, interjecto mense, unus dies supersit. Tum *anno* XIV. alius mensis intercalatur, reliquique sunt dies 4, necnon *anno* XVII. rursus intercalatur, quando et dies relinquuntur 7 qui cum residuis diebus anni XVIII. et XIX. mensem unum dierum 29 efficiunt. Colliguntur hac ratione anni embolimæi in cyclo decemnovennali septem III, VI, IX, XI, XIV, XVII, XIX.

Dies isti residui *epactæ*, ἐπακταὶ ἡμέραι vulgo nominantur, quasi *addititii dies*, quod ad ætatem lunæ pronuntiandam

(1) Veteres chronographi anno octavo, quando dies nonnisi 28 superflui sunt, embolismum præcipitarunt, teste *Petavio, de Doctr. temp. lib.* VI, c. 6 ; et hoc vel ex ipso illo versu colligimus, quem statuerunt ad declarandam annorum intercalarium dispositionem :

Cur fles has lachrymas ? odiosum quære tyrannum.

In isto versu, inquit *Durand. lib.* VIII. *c.* 10, sunt septem dictiones septem annis embolismalibus servientes, prima primo, secunda secundo et sic per ordinem, ita quod quota est prima litera alicujus istarum dictionum in alphabeto, totus annus cycli epactalis erit annus embolismalis. *Cur* est prima dictio et servit primo anno embolismali, et c est prima litera illius dictionis, quæ est *tertia in alphabeto* ; ergo *tertius annus* cycli lunaris *est embolismalis* ; et ita de aliis.

vel etiam ad annum lunarem æquandum cum a. solari quotannis adjici debeant. Sed de *Epactis cap.* v. *n.* 74.

Septem mensium intercalarium primi sex tricenarii *plenique* sunt, unus *cavus* dierum 29; hinc fit, ut in primis sex embolismis annus embolimæus dies colligat 384, in ultima intercalatione autem 383. Annus lunaris politicus communis enim constare censetur diebus solidis 354, neglectis nimirum ac dissimulatis horis 8 cum cæteris minutis tum primariis tum secundariis, quas anno lunari naturali ultra dies 354 excurrere docuimus ex *Petavio lib.* VII. *cap.* 4.

16. Menses illi, qui præter ordinem anno lunari embolimæo inculcantur, varium in Kalendario situm obtinuerunt. Eos Alexandrini proxime ante paschalem mensem collocari jusserunt, postea vero per varios anni solaris menses vagari cœperunt, solis duobus pristina in statione perseverantibus, cyclo VIII. et XIX. In Gregoriana methodo in finem popularis anni conjecti sunt, ita ut omnes in decembrem aut ineuntem januarium incidant. De qua re *Petavius de Doctr. temp. lib.* VI. *cap.* 7.

17. Divisio anni solaris multiplex instituitur. Primo quidem secundum γνῶσιν ab astronomis consideratus *astronomicus* dicitur *et naturalis et vertens ;* a politicis vero secundum πρᾶξιν consideratus *politicus* appellatur et *civilis*, et *popularis* seu mundanus.

Annus solaris naturalis alius *sidereus* seu *astricus*, *tropicus* alius dicitur.

Astricus annus est, quo sol emensus totam zodiaci longitudinem ad eamdem stellam fixam, a qua discesserat, regreditur. Hujus anni modus neque semper æqualis est sibi, neque satis exploratæ magnitudinis ; Copernicus illi supra dies 365 horasque 6, minuta primaria 9, secundaria 39 attribuit. Synopsin opinionum aliorum Astronomorum de quantitate anni siderei seu astrici vide apud *Ricciol. Almag. nov. lib.* III. *c.* 16.

Tropicus annus refertur ad quatuor (1) anni τροπάς seu carnes definiturque annus, quo sol ab utrovis æquinoctio vel solstitio digressus eodem, integro circuitu zodiaci confecto redit. Eum nunc communiter a verno cardine (τροπὴ ἐαρινὴ) et initio Arietis ordiuntur astronomi.

Quoniam in computo de anno tropico potissimum agitur, hæc insuper de eo annotasse juvabit.

Spatium temporis, quod intercedit inter instans quo sol est in puncto intersectionis eclipticæ et æquatoris, — inchoante vere, — usque ad instans quo, absoluto integro circuitu, ad idem punctum redit quodque *annum tropicum* dicimus, non est mathematice idem singulis annis, sed modicissima quædam habetur differentia, quæ tamen negligi non potest, quin decursu sæculorum magna confusio inducatur in annum civilem, qui ex anno tropico pendet.

Cæterum, quum modicæ illæ variationes non sint constantes, oportuit quantitatem anni mediam determinare. Quod ut adamussim fieret, opus erat observationibus exactissimis ope exquisitorum instrumentorum institutis et per longam annorum seriem continuatis. Sunt ex recentioribus astronomis, qui eam faciant dierum 365, hor. 5, min. 48, secund. 51; juxta alios est d. 365, h. 5, 48', 50''. Auctores kalendarii Gregoriani eam æstimarunt d. 365, h. 5, 49'. Differentia inter hunc valorem et primum quum non sit nisi 9'', ea intra 9600 annos unum diem efficiet, qui proinde,—si prima longitudo vera sit,—post lapsum illius annorum periodi posset subtrahi: computatis singulis 10,000 annis quatuor seu potius septem annis sæcularibus continuis pro non bissextilibus, quod fieri debere infra dicemus n.

(1) Quatuor sunt *signa tropica* zodiaci : *Aries*, *Cancer*, *Libra* et *Capricornus*, ita dicta, quod sol quum ad ea in zodiaco pervenerit, conversionem (τροπήν) cursus sui et anni mutationem facit; nam quum est in signo *Cancri*, quo tempore dies longissimi sunt, solstitium æstivum facit paulatimque revertitur, descenditque usque ad *Capricornum*, ubi solstitium hiemale efficit diesque brevissimos. Similiter quum est in signo *Arietis*, noctes diebus æquales reddit et *ver* inducit; quum vero *Libram* ingressus est, tunc quoque dies æquat noctibus et affert *autumnum*. Hæc *Petav. Rationarii Temp. p.* II. *c.* 1, ex *Sexto Empirico*, *Oppiano* aliisque scriptoribus græcis et latinis.

61. Ex dictis etiam patet, annum astricum longiorem esse anno tropico, cujus differentiæ causam in *præcessione æquinoctiorum* astronomi ponunt. Æquinoctia autem *præcedere* dicuntur, quia sol pervenit ad punctum æquinoctiale antequam integram revolutionem absolverit respectu ejusdem stellæ, itaque fit ut puncta æquinoctialia soli quodammodo obviam veniant, ac juxta directionem oppositam seu *motu retrogrado* moveantur. Hinc duo hæc inter se conciliari videmus, nimirum *æquinoctia præcedere, puncta æquinoctialia* vero *retrogradi.*

DE ANNO SOLARI CIVILI SEU POLITICO.

18. Anni naturalis dimensio quum in integros dies neutiquam cadat, sed in dierum minutissima scrupula desinat, quæ hominum vulgus non assequitur, idcirco ejus usus societati civili non est idoneus. Hinc factum, ut politici aliud genus anni usurparent, quod certo integrorum dierum numero determinatum facile percipi ac retineri ab hominibus posset. Hoc anni genus *civile* seu *politicum* dicimus.

Anni civilis diversæ formæ a Censorino traditæ sunt ; ex omnibus porro ea praestantior ac probata maxime, quæ ab auctore Julio Cæsare *Juliana* appellatur. Hic enim imperator quum anni civilis rationem ob vitiatam sæculorum decursu intercalationem ac imprimis pontificum incuria, quorum erat eam statis temporibus præconis voce promulgare, interruptam et depravatam, admodum impeditam reperisset, ita ut neque messium feriæ æstati neque vindemiarum autumno amplius competerent, *Sosigenis* mathematici arte et industria adjutus confusionis incommoda sustulit ac no-

(1) Quum intercalatio libidini pontificum relicta esset, hi autem a publicanis corrumperentur, vel affectu erga magistratum,—ad ejus officium annuum prorogandum,—ferrentur, factum est, ut *sub specie observationis,* ut ait *Macrob. Sat.* I. 14. *emergeret major confusionis occasio.*

vam plane anni designationem, intercalationem, mensium distributionem et lunationum investigationem introduxit, quæ res pertricosa satis pluribus capitibus declarata est a *Petavio, de Doctrina temp. lib.* IV.

Annos itaque singulos communes diebus 365 circumscripsit (1), quod sol eo temporis spatio circulum suum per zodiacum absolvere videtur. Quia vero anni naturalis justa magnitudo 365 dies senis pene horis superat, idcirco ne earum neglectu quolibet quadriennio et tropæ et reliquæ feriæ stabiles e suis sedibus uno die retro ferrentur, intercalationis remedio usus constituit, ut tribus quibuslibet annis succedentibus excrescentium illarum horarum nulla ratio haberetur, sed quarto demum anno collectæ quater sex horæ, diem naturalem constituentes, unius diei adjectione compensarentur, sicque civilium annorum cum naturalibus congruentia iterum obtineretur. Ei insertioni locum fecit post *Terminalia*, seu ante quinque dies ultimos mensis Februarii, utpote brevissimi, ubi proinde quarto quolibet anno fluente ob *intercalarem diem sexto kalendas martias* bis numeratur, unde et *Bissextilis* nomen meruit (2). Animadvertendum vero est, supplementum hoc intercalare, quod integrum diem conficit, ex mente kalendarii Juliani non numerari pro die singulari, sed ita ad diem 24. februarii alligari, ut eum augeat eique spatium 48 horarum attribuat. Unde *mensis intercalaris* Romanorum, licet habeat viginti novies 24 horas, non tamen e viginti novem, sed *e viginti octo diebus constare dicitur l. Cum Bissextum* 98. § 2.

(1) *L. Cum hæres* 4. § 4. *ff. de Statuliberis.*

(2) Miram *Bissexti* appellationem et magis miram ejus formationem habes ex notatione, quam post alios conficit *Durand. Rat. lib.* VIII. *c.* 3. *n.* 17. *Dies bissextilis, inquit, dicitur bissextilis quasi ex bisse momentorum collecta*; quod deinde pluribus declarat. Notandum autem S. *Isidorum*, quem Durand. laudat, expressis verbis docere, *bissextum appellari, quod bis sexto kal. mart. dicamus, atque ita addito bissexto alio die* VI. *kal. martias iteremus.*

ff. *de Verb Signif.* (*L*, 16.), quia, ut ibidem additur, *id biduum pro uno die habetur.*

Quæ animadversio quam sit ad vitam utilis docebitur infra in declaratione kalendarii Gregoriani n. 61.

In kalendario Christiano diei insertæ locum assignant versus :

Bissextum sextæ Martis tenuere kalendæ,
Posteriore die celebrantur festa Mathiæ.

Quamvis optatum finem consequi videretur Julius Cæsar, ejus anni ratio tamen labis expers non fuit, sed immo evidentes quosdam errores induxit, quibus demum *Gregorius PP. XIII.* remedium attulit. De *Gregoriana correctione cap II.*

19. De reliquis anni formis longam quæstionem habet *Petavius* quatuor prioribus libris *de Doctrina Temporum.* Ex ea paucis hæc accipe.

Hebræi annum habuere duplicem, *historicum* scilicet et *politicum.* Historicum quidem in dies festos et profestos distributum, publicis congressibus accommodatum, quo numerabant seriem annorum et historias notabant. Eum ordiebantur ab æquinoctio verno, mense *Nisan,* martio respondente ac interdum aliquam aprilis partem occupante ; *politicum* vero et œconomicum post messem et vindemiam collectam inchoabant mense *Tizri,* qui nostro septembri respondet et aliquando etiam octobrem attingit juxta legem lunationum. Inserviebat autem decimarum annuæ solutioni, privatis contractibus, anno item sabbatino septimo, quo terra feriabatur, anno denique quinquagesimo, *jubilæo* dicto, ex septem annorum hebdomadibus exurgente, quo, omissa prorsus cultura, præcedentis anni proventibus et sponte natis fruebantur.

Aliquot ante Christum sæculis saltem a Judæis lunarem observatum esse annum extra controversiam habetur ; ab initio autem atque ex Moysis instituto idem esse facti-

tatum *Petavius, lib. II. cap.* 27. *credit*, tametsi nihil ex Scripturis evinci posse videatur.

Græci annos lunares usurpantes, ne ob defectum 11 dierum æquinoctia anticiparent et noviluniorum tempora per omnes anni partes (ut in anno Ægyptio, de quo *Petav lib. III. c.* 2.), vagarentur, intercalationibus lunares annos solaribus adæquarunt, sedesque æquinoctiorum et solstitiorum iisdem mensibus, licet non iisdem diebus, retinuerunt. (*Petav. lib. I. cc.* 5., 6. *et* 7.)

A Mahometanis sive Arabibus annum lunarem ex 12 mensibus vel diebus 354 compositum observari, supra monuimus.

Quæ forma anni fuerit ante Urbem conditam apud antiquissimos Italiæ populos, sive ii Umbrii, sive Hetrusci, Sabini aut alii fuerint, divinare non est facile, quum ejus rei tractatio nullis historicis monumentis tradita sit.

20. *Romulus* annum ab æquinoctio verno incipiens ex 304 diebus (1) et mensibus 10, inter quos martius primus esset, composuit : ut aprilis, junius, sextilis, september, november et december 30 dierum essent, reliqui quatuor, martius, maius, quintilis et october, dierum 31. Cæterum quum numerus iste neque solis cursui neque lunæ rationibus conveniret, nonnunquam usu veniebat, ut frigus æstivis mensibus, e contra calor hiemalibus proveniret. Ergo tunc tantum dierum patiebantur sine ullo mensis nomine absumi, quoad cœli habitus instanti mensi aptus rediret. (*Rosin. lib. IV. Antiquitat.*)

Numa initium anni ad *Brumam* (2) transtulit et a januario

(1) Quamvis communis sit opinio, non plures quam et menses 10, et dies 304, Romuli anno competisse, *Petavio* tamen probabile videtur, etiam ætate Romuli anno 3?0 dies attributos esse. (*De Doctrina temp lib.* II. *cap.* 74.)

(2) Peritiores etymologi *brumam* dictam docent cum *Varr. Ling. lat.* v,2. a *brevissimis diebus :* nempe *brumam* esse per syncopen a *brevissima*, unde *brevima, breuma, bruma;* quæ eadem contractionis ratio est *infimus* et *imus*.

inchoavit. Februarium item attexuit. Deinde Græcos imitatus annum 354 diebus, sive 12 mensibus lunaribus circumscripsit. Verum quia confusa remansit anni ratio, neque mensium initia noviluniis responderent, cura intercalandi pontificibus demandata fuit usque ad julianam castigationem, de qua dictum est. Cfr. *Petavius, lib. II.*

Alias anni civilis formas ab aliis populis receptas variis in locis operis citati declarat *Petavius*, et *Ægyptiorum* annum quidem explicat *lib.* III. *cap.* 2 *; Chaldæorum lib.* III. *cap.* 4. seqq. ; *Persarum lib.* III. *cc.* 8. 9. 10. et *lib.* VII. *cap.* 15.

21. Præter expositam anni divisionem in *naturalem* et *civilem*, quam chronographi usurpant, et alia occurrit anni civilis distinctio, qua jurisconsulti utuntur. Eam vero silentio præterire non possumus, tametsi ad rem propositam minus pertinere videatur.

Annus itaque in legibus vel *naturaliter* intelligitur, vel *civiliter*, vel *ecclesiastice.*

Annus naturalis jurisconsultis is est, qui a momento ad momentum computatur, ut in *l. Anniculus.* 132. *ff. de Verb. signif.* (L, 16.). Naturaliter computandus est in nuptiis *Nov.* 79. et 100. ; in pupillis et minoribus *l. Indecoram. ult. C. quando tut. vel cur. esse desin.* (V, 60.); in præscriptionibus actionum temporariarum *l. In omnibus.* 6. *ff. de Oblig. et act.* (XLIV, 7.)

Civiliter vero intelligitur annus, quum a die ad diem computatio ita fit, ut qui ad extremum anni diem pervenerit, annum absolvisse videatur, ut in *l. Anniculus.* 134. *ff. de Verb. signif.* Atque hic annus *civilis* seu *legalis* exigitur in muneribus et honoribus, in manumissione, in usucapione *l.* 5. *et* 7. *ff. de Usurpat.* (XLI, 3.). *Eadem* ratione si cui his verbis libertas relicta sit : *duodecimo anno liber esto,* in principio anni duodecimi liber erit.

Annus ecclesiasticus tandem in collatione ordinum servan-

dus moraliter computatur, utputa, ab una Quadragesima ad aliam, a Pentecoste ad Pentecosten, etc. (1).

Sed hæc satis de variis formis, quæ sub anni genere sunt. Transeamus jam ad anni *partitionem*, qua nimirum in partes suas quasi in membra discerpitur. Posteriori hoc modo autem anni divisio est in *dies*, tum in *hebdomadas* et *menses* ; namque ex diebus collectis menses, ex mensibus anni constituuntur ; et quamvis divisio in hebdomadas mensibus non tribuatur, annum ipsum tamen in hebdomadas partimur. De singulis anni partibus ex ordine dicemus.

DIES.

22. Etymologia. *Diem* alii immediate deducunt a *dio*, quod *apertum* et *manifestum* significat, eo quod radiis solaribus seu *sole super terram lucente,* ut ait *Isid. Etymolog. lib.* v. *c.* 30. cuncta sensibilia *manifesta* fieri videamus ; alii vero a Διός, Jovis, eo quod Jupiter *auctor lucis* habeatur indeque *Lucetius* et *Diespiter*, quasi diei pater, dicatur. Alii denique dictum volunt diem a δύο, *duo*, quod contineat duo tempora, diem et noctem, et quod *vocetur dies a meliori parte sine commemoratione noctis juxta illud : Et factum est vespere et mane dies unus;* quam miram diei notationem conficit *Durand. Rational. lib.* viii, *c.* 6. *n.* 1.

Dies generatim acceptus pro illo temporis spatio sumitur, quo sol terras illuminat quoque motu cœli ab ortu in occasum definitur ; is propterea *motus diurnus* vocatur.

23. Divisio. Diem astronomi dividunt in *naturalem* et *artificialem.*

Naturalis est solis ab uno puncto ad idem punctum fixum conversio : velut a meridiano circulo ad eumdem reditus.

(1) Ast in requisita ætate ad ordines sacros suscipiendos, item ad annum novitiatus complendum non attenditur annus ecclesiasticus, sed naturalis.

Motus iste non simplex, sed compositus est. Dies naturalis horas 24 complectitur.

Artificialis dies est solis supra horizontem commoratio, cui *nox* ex adverso respondet. Etenim *noctis* vocabulum, a græca voce νύξ dictum (1), illud temporis spatium designat, quo sol infra horizontem moratur ac tenebris terra obtegitur. Dies artificialis propter sphæræ obliquitatem pro temporum et locorum varietate inæqualis est. Alii tamen diem *naturalem* vocant, quem nos *artificialem* dicimus, et vicissim quem nos appellamus *artificialem* ipsi denominant *naturalem*. (*Censorin. de Die natal. c.* 10.)

24. Judæi olim triplex genus dierum observabant; habehant enim diem *legalem*, a vespera ad vesperam durantem, eumque tum civilibus, tum sacris rebus destinatum (2); *naturalem* ab ortu solis usque ad ortum, et *usualem* a media nocte ad mediam noctem.

25. Dies alii dicuntur *interculares*, ἐμβόλιμοι, ἐπακταὶ, qui 12 mensibus supersunt; alii *caniculares*, a caniculæ sidere tum prædominante; alii *solstitiales*, dividentes ex æquo diem et noctem, uti et æquinoctiales juxta notos versiculos :

Lamberti, Gregori nox est æquata diei :
Vitus, Lucia sunt duo solstitia ;

vel juxta alios hosce, qui in eamdem sententiam leguntur :

Solstitium decimo Christum præit atque Joannem ;
Æqua Crucis Festum tempora, Martis idus.

26. Dies *civilis* is est, cujus initium et finem quæque gens suo arbitratu definit. Babylonii diem auspicabantur ab ortu solis ; Judæi, Athenienses, Itali, Sinenses multique alii po-

(1) Sunt etiam qui *noctem* a verbo *nocendi* ducant, quod oculis noceat : (*S. Isidor. Etymol, lib.* v. *c.* 31) ; sive *quod in ea fures nocendi occasionem nanciscantur*, ut ait *Raban. lib. De computo, c.* 21.

(2) Moyses nullum inter civilis et sacræ diei initium et finem discrimen notat. Vesperam, quum diem describit, usque quoque priorem nominat. Sic *Gen.* I. primum diem creationis describens ait: *Factumque est vespere et mane dies primus.*

puli, qui menses lunares habent, initium dant diei ab occasu solis, ea forte ducti ratione, quod ortus lunæ, quam observant, tempore occasus solis fiat (1). Iis ergo tempus solis occasum prævertens finis est horæ ultimæ diei præcedentis. Romani olim et Europæi hodie plerique omnes initium sumunt diei a media nocte, illumque in duas partes æquales ita dividunt, ut numerent horas duodenas usque ad meridiem, et rursus a meridie ad mediam noctem alias duodenas (2). Umbri denique olim atque nunc Arabes diem a meridie incipiunt.

Ex his quatuor diei initiis *tertium* vel *quartum* astronomi sibi sumpserunt, quod ambo a meridiano circulo proficiscantur, qui quum fixus sit atque immutabilis certum diei principium designat; quæ autem ab occasu vel ortu repetuntur identidem mutari necesse est. *Tycho Brahe* velut januarii primum diem exorditur a meridie quæ in kalendas ipsas incurrit, *Copernicus* Romanorum consuetudine a media nocte ad mediam noctem.

Varium apud varios populos diei exordium veteres utcunque expresserunt hisce versibus :

Græci mane diem capiebant solis ab ortu,
Vespere Judæi : servantes sidera cœli
Dum sol in medio fulget nitidissimus orbe ;
Christicolæ incipiunt medio sub tempore noctis.

Quod postremo hoc versu universalis regulæ instar proponitur, Romanum morem nimirum a Christianis servari, id ut rite intelligatur cum aliqua distinctione accipi debet.

(1) Memoratu digna est ratio, ob quam diem ab occasu solis ad occasum statutum fuisse tradit *Jul. Cæsar de Bello gallico, lib.* VI. c. 18. his verbis : *Galli se omnes ab Dite patre prognatos prædicant : ob eam causam spatia omnis temporis non numero dierum sed noctium finiunt, et dies natales et mensium et annorum initia sic observant, ut noctem dies subsequatur.*

(2) *L. More Romano.* 8. *ff. de Feriis. More Romano dies a media nocte incipit, et sequentis noctis media finitur : itaque quidquid in his viginti quatuor horis (id est duabus dimidiatis noctibus et luce media) actum est, perinde est quasi quavis hora lucis actum esset.*

Quod attinet ad *præceptum colendi dies festos, observandi jejunia ecclesiastica* aliosque ritus de jure peragendos, quivis dies a media nocte initium mediaque nocte quæ sequitur finem accipit, juxta *leg. More Romano. cit.*, quam etiam Innocentius PP. III. ab Aul. Gellio (*lib II. c. 1. Noct. Attic.*) illustratam recitat in *C. Consuluit nos.* 24. *de Offic. et potest. delegat.* (I, 29.). Itaque non solum in celebratione jejuniorum ac festorum, sed etiam in aliis actibus viginti quatuor horæ diei computantur a media nocte in aliam mediam noctem. Sic, v. g., in *mensibus papalibus* computandis accidit, ut qui ultimo die januarii paulo ante horam noctis duodecimam decedit, adhuc in *mense papali* decessisse intelligatur.

Ad *dies dominicos* quod spectat, statutum quidem sacris canonibus erat, ut eorumdem dierum veneratio inciperet pridie vespere et desideret vespere sequenti (1), nisi aliud regionum consuetudo (2) haberet (*C. Quoniam in part.* 2. *de Feriis, II*, 9.) ; ast verba *a vespera ad vesperam*, interprete nunc consuetudine, intelligenda potius sunt de antiquo Ecclesiæ usu, quo fideles diebus dominicis et festis interesse horis canonicis solebant, prout testatur *S. August. serm.* 251. *de Temp.*, ubi ait : *Veniant ergo, cuicunque possibile sit ad vespertinam atque nocturnam celebrationem, et orent ibi in conventu ecclesiæ pro peccatis suis.*

Quod deinde pertinet ad *horas canonicas*, ecclesia hodieque diem Hebræorum assumit atque officia divina a (primis) vesperis ad (secundas) vesperas celebrat, diem ecclesiasticum ita a vespera in vesperam computando.

Tandem ad *diem natalem alicujus Sancti quod pertinet, tri-*

(1) *Can. Quod dies.* 5. *dist.* 75. *Cui (diei dominico) a vespera sabbati initium constat adscribi. Can. Pronuntiandum.* 1 *de Consecrat. dist.* 3. *Sciant tempora feriandi per annum... omnem dominicam a vespera usque ad vesperam. Et C. Omnes dies.* 1. *de feriis: Dies Dominicos a vespera in vesperam cum omni veneratione decernimus observari.*

(2) De contraria hac consuetudine conferri possunt quæ habet *Gonzalez in C. Quoniam cit.*

plicem ejus computandi methodum post *P. Carol. Guyetum* adducunt auctores : *primam* a primis ad secundas vesperas ; sic enim suadere videtur officiorum ratio, quæ quum ad sancti cujusque felicissimum ex hac vita transitum instar se habeat triumphi ad victoriam, illum certe hanc non præcedere sed sequi, aut ad summum comitari æquum est. Præcederet autem, si totum officium vel plenior illius pars absoluta fuerit ante horam qua sanctus ex hac vita migravit, quod in simplici maxime festo contingit, cujus totum officium completur ad nonam.

Alteram computandi methodum, quæ est *a solis occasu ad solis occasum* adhiberi volunt, quando illorum sanctorum dies natalis est determinandus, quos post horam completorii, inchoata jam nocte decedere contigerit, eo quod illorum transitum eo potissimum die celebrari deceat, quo is hominibus primum vulgatus ac cognitus fuit.

Tertiam tandem plerique omnes sequuntur, qui diem more Romanorum incipiendum docent diemque illum cuique natalem assignant, in cujus aliqua hora a media nocte ad mediam noctem contigit ipsum ex hac vita transire.

Verum quum nostrum non sit, — verba sunt doctissimi Cavalieri varias has computandi methodos referentis,— natalem diem sanctis præscribere, sed Sedis apostolicæ, idcirco quamcunque ex dictis rationibus computandi hæc secuta fuerit, dies illa, quæ pro natali ab eadem Apostolica Sede determinata fuerit, censeri debebit natalis dies, in eaque dicendus erit versus *Meruit beatas* et non in sequenti, nisi ad tramites decreti S. C. R. 13 junii 1682 (1), si ad sequentem transferatur diem, cui juxta aliam computandi

(1) An quando contingit transferri festum alicujus sancti confessoris a die sui obitus in diem proxime sequentem, debeat tunc in primis vesperis dici in hymnis *Meruit beatas* et in matutino et secundis vesperis *Meruit supremos*?

R. In casu proposito tum in vesperis, tum in reliquo officio continuandum versum *Meruit beatas.*

rationem consignari poterat natalis sancti qui transfertur. Sic, licet *S. Franciscus de Paula* obierit *die secunda* aprilis hora circiter vigesima prima, et consequenter, juxta primam computandi rationem, natalis ejusdem tradi potuisset die 3. aprilis, adhuc quia juxta rationes alias consignatus fuit diei secundæ, in hac dici debebit *Meruit beatas*, non autem si transferatur ad diem tertiam, nisi primas integras vel dimidias habeat vesperas. Similiter S. Philippus Benitius die 22. augusti ad vitam evolavit æternam hora 24. ad pulsationem salutationis Angelicæ, et juxta *secundam* computandi rationem natalis ejusdem statutus fuit die 23. sequenti, et ideo in hoc dicitur *Meruit beatas*, qui versus et diceretur die 22. si juxta tertiam computandi rationem natalis ejusdem prædictæ diei 22. non impeditæ consignatus extitisset. *Hæc Caval. tom. II. dec. 334 n. 4.* Eadem prorsus ratione *S. Petri Damiani* diem natalem habemus die 23. februarii, tametsi Breviarium eum *ad Christum migrasse* referat die 22.; item s. *Alphonsi de Ligor.* dies natalis statutus est 2. augusti, licet — teste Breviario — *expiraverit Kalendis Ausgusti* (1).

27. Dies *in legibus* accipiendus est secundum subjectam materiam; nam quum aliquid est agendum, quod aliam rationem in luce et aliam in tenebris habet, antiqua et vulgaris diei appellatio retinenda est, qua dies in duodecim horas divisus sumitur ab ortu ad occasum solis (2), et contra nox in alias duodecim horas divisa accipitur ab occasu ad ortum solis, uti reipsa habitantes sub æquatore toto anno diem noctemque retinent æqualem. Atque huc referri ea possunt, quæ habentur tum *Gen. I: Deus divisit lucem a tenebris appellavitque lucem diem et tenebras noctem;* tum *Joan. XI: Nonne duodecim sunt horæ diei? Si quis ambulaverit in die, non offendit, quia lucem hujus mundi videt.*

Et quamvis dies Romanus a media nocte inciperet et

(1) *Revue des Sciences ecclésiastiques, juin 1863. t.* VII, *p.* 572.

(2) *C. Consuluit nos.* 24, *de Offic. et potest. delegati* cit. num. præced.

sequente nocte finiretur, diei horas tamen ab ortu solis dinumerabant, duodecim diei totidemque nocti tribuentes. Atque ita *primam, sextam, septimam* horam, quoties in corpore juris occurrit accipere debemus. (*L. Placuit.* 1. *ff. de Manumissionibus; l. Via.* 5. *ff. de Servitutibus; l. Titius.* 25. *ff. de Liberis et posthumis; l. Non minorem.* 20. *Cod. de Transactionibus.*)

Si autem sermo sit de continuo temporis successu, observanda est Romana institutio *legis More Romano* 8. *de Feriis* (*II*, 12.). Sic in materia præscriptionum, ubi tempus ita noctu procedit ac die ad complendam usucapionem juxta *l. Ideoque* 7. *ff. de Usurpationib. et usucapionib.: Qui hora sexta diei kalendarum januariarum possidere cœpit, hora sexta noctis pridie kalendas januarias implet usucapionem.* Quod si *partes diei* considerentur, eum nunc in varias horas distribuimus.

Olim Hebræi diem in horas non dispescebant, sed in quatuor partes, *mane* scilicet, *meridiem, primum* et *secundum vesperum.* Noctem etiam in tres partes dividebant *vespera, medium noctis et vigilia matutina.* Si quando apud Setuaginta horarum nomen occurrat, illud vel denotando certo cui dam tempori vel designandis anni tempestatibus usurpatum est.

Hesychius tradit, veteres pedibus umbras dimensos diem divisisse ; unde et tempus cœnæ modo hac modo illa pedum dimensione designabant. Decem pedum στοίχους multi meminerunt : eratque ea hora corpori curando opportuna. (*Pollux, lib. VI. c.* 8.) Parasiti tempus cœnæ exacte curabant observare et nuntiare, quia mensis inhiabant potentiorum (1),

(1) Hinc est, quod esuriens parasita in *Bœotia* Plauti illi imprecetur, qui primus horologium statuisset, his verbis :

Ut illum Dii perdant, primus qui horas repperit,
Quique adeo primus hic statuit solarium,
Qui mihi comminuit misero articulatim diem;
Nam me puero uterus hic erat solarium,
Multo omnium istorum optumum et verissimum...
Nunc etiam quod est, non est, nisi soli lubet.

immo in ædibus magnatum uni servorum commissum, varia diei tempora nuntiare; eum ὡρολογητὴν vocabant.

Turcæ *Talismannos* habent hominum genus templorum ministerio dicatum. Hi mensuris utuntur ex aqua, quibus postquam adventare auroram cognoverunt, clamorem tollunt e celsa turri in eum usum constructa, quo homines ad venerandum Deum hortantur et accersunt. Idem faciunt medio tempore inter exortum solis et meridiem, et item inter meridiem et occasum: postremo sole occidente voce utuntur acutissima eam non injucunda modulatione vibrantes, quæ longius quam credi possit exauditur. Sic totus dies Turcis in quatuor spatia dividitur majora aut contractiora, ut anni fert tempus: noctis omne tempus incertum est, teste *Busbeq.* in *Itinerario.* Post inventam diei in varias horas distinctionem diversæ diei noctisque partes *horarum* voce significantur. De hac partitione autem distinctius agendum.

HORA.

39. Etymologia. *Macrobius, lib. I. c.* 21. *Saturnalium* docet, solem lingua Ægyptia *horum* vocari, inde *horæ* nomen esse. *Apud eosdem*, inquit, *Apollo, qui est sol, Horus vocatur*, ex quo et horæ 24, quibus dies noxque conficitur nomen acceperunt. Sed verius est, *horam* a voce græca ὥρα deduci.

40. Horarum nomen per trecentos annos Romanis ignoratum fuisse credibile est. Divisio enim diei artificialis in horas 12, et noctis in totidem Romæ non censetur inducta nisi post reperta horologia solaria, quorum primum in foro illud fuit, quod M. Valerius ex Sicilia advectum ad rostra in columna posuit, uti videre est apud *Livium H. lib. XVI. c.* 47. ad annum U. C. 491.

Primis igitur temporibus Romani, quum horologia non haberent, noctem quadrifariam, h. e. *in primam, secundam,*

tertiam, quartam vigiliam dividebant, petito nomine a re militari (1); diem vero bifariam, *ante et post meridiem*.

Plura noctis et diei tempora aliis etiam discreta nominibus apud veteres leguntur.

Sic olim Romanis, diem suum civilem a media nocte auspicatis, hæ ex ordine partes erant : 1. *De media nocte* seu *mediæ noctis inclinatio ;* 2. *Gallicinium ;* 3. *Conticinium*, quum Galli conticescunt ; 4. *Ante lucem ;* 5. *Diluculum ;* 6. *Mane,* cujus vocis duas notationes *Macrob. Sat. lib. I. c.* 3. affert ; 7. *Ad meridiem*, h. e., *ad mediam diem*, seu *dies clarus ;* 8. *Meridies ;* 9. *De meridie* h. e. *tempus occiduum ;* 10. *Occasus solis;* 11. *Suprema tempestas ;* 12. *Vespera*, quod a Græcis tractum esse *Macrobius* docet *l. c.;* 13. *Crepusculum ;* 14. *Face prima ;* 15. *Concubium ;* 16. *Intempesta* seu *multa nox*, quæ sc. non habet idoneum tempus rebus gerendis ; 17. *Ad mediam noctem* seu *silentium noctis;* 18. demum *Media nox.* Ita *Macrob. Sat. lib. I, c.* 3. et *Censorin. de die nat. in fin.*

Ast *solario* (2) primum, postea *aquario* (3) horologio in

(1) Unicuique ex quatuor istis quadrantibus, in quos noctem partiebantur, tres horas tribuebant ; nimirum ii, qui hostium metu excubabant et vigilias agebant, per tres horas vigilabant. Et finita quidem prima vigilia alii excubitores rursus in secundam vigiliam seu in tres alias horas succedebant, et secunda finita vigilia alii similiter in tertiam et a tertia alii in quartam, dum illucesceret.

(2) *Horologium solare*, quod appellant σκιοθηρικόν, quasi *venatorem* (θήρα) seu indagatorem *umbræ* (σκιά) et γνώμονα, a γινώσκω, h. e. stilum, ex cujus umbra horæ diei cognoscuntur in sole, non primum ab *Anaximene* Milesio, Anaximandri discipulo, fuisse inventum, ut ex *Plin. lib.* II, c. 76. recentiores falso tradunt, ex eo patet, quod jam tempore Ezechiæ (a. Ch. 712 ; U. C. 42), in tali horologio decem lineis recessisse sol legatur. Hanc umbrarum rationem a Judæis ad Ægyptios, ab his ad Græcos devenisse, ex horologio Ezechiæ colligunt *Clavius lib.* I. *Gnomon. p.* 7 et *Cornel. a Lap.* in *Is. cap.* 38. Romæ vero nonnisi multo post tempore primum ejusmodi generis horologium statutum fuisse in publico secundum Rostra, in columna, bello Punico primo ex *Liv. l. c.* intelligimus. Quum autem non satis congruerent ad horas lineæ ejus, quia ad clima Siciliæ descriptæ fuerant, post centum fere annos Q. Marcius aliud diligentius ordinatum juxtaposuit.

(3) *Horologium aquarium* quod vulgo et κλεψύδραν dicunt a κλέπτω et

foro positis inventa est horarum distributio. Porro quum tum diem artificialem quam noctem seorsim in duodecim horas æqualiter dividerent, ipsæ horæ diurnæ nocturnæve ita distribuebantur, ut longiores essent æstate diu, breviores noctu, contrariaque ratione perbreves hieme lucis horæ, noctis longissimæ. *Plin. lib. VII. c.* 60.

41. In libris Novi Testamenti diei distributio in duodecim æquales horas more Græcorum et Romanorum apertissime intelligitur (*Joan.* 11, 9; *Matth.* 20, 3). Omnium *primam* ab ortu solis horam ducebant, quæ *sextæ horæ* matutinæ apud nos respondet in æquinoctio; *tertiam* horam numerabant, quam nos *nonam matutinam* in æquinoctio dicimus. *Sexta* semper in *meridiem* cadebat, et sic de aliis. Consuevisse etiam tunc Judæos Romanorum more noctem in quatuor vigilias distribuere, ex scripturis N. T. intelligimus (*Matth.* 14, 25 ; *Marc.* 6, 48 ; 13, 35).

Judæi quatuor præsertim horas diei orationi destinatas habebant, scilicet *primam*, quæ incipit ab ortu solis; *tertiam*, respondentem circiter nostræ horæ nonæ matutinæ; *sextam*, quæ convenit cum meridie; et *nonam*, quæ respondet horæ tertiæ pomeridianæ.

42. Divisio. Horæ aliæ diei sunt, aliæ noctis : *l. A qua ætate.* 5. *ff. Qui testamenta facere possint ; l. Ideoque.* 7. *de usurpat. et usucap.* cit. Illæ *diurnæ*, hæ *nocturnæ* vocantur : *l. Si diurnarum.* 2. *ff. de aqua quotidiana ; l. Capite.* 25. *ff. ad legem Juliam, de Adulteriis.*

ὕδωρ, quia paulatim et quasi furtim aqua detrahitur, est vas vitreum exiguum in fundo foramen habens guttatim aquam destillans, ex cujus diminutione labentis temporis mensura cognoscitur. Quum enim nubilo die incertæ essent horæ, *Scipio Nasica primus Romæ aqua divisit horas æque noctium ac dierum idque horologium sub tecto dicavit anno Urbis* 595. *Hæc Plin.* VII, 60. Apud veteres oratoribus acturis causas forenses præscribebatur tempus dicendi datis clepsydris, quibus finitis vel decursis ultra loqui vetabantur. Atque etiam hodie nonnullis in scholis usus obtinet, ut studiosi ad clepsydram examinentur.

Horæ tam diurnæ, quam nocturnæ aliæ sunt *æquales*, aliæ *inæquales*. Horas *æquales* eas dicimus, quarum unaquæque est vicesima quarta pars diei naturalis æqualiter divisi. Æquales etiam *æquinoctiales* vocamus, quia totum æquinoctialis ambitum in 24 partes æquales dividunt, quo fit, ut horis singulis gradus 15 competant.

Horæ inæquales illæ dicuntur, quarum unaquæque est pars duodecima tum diei artificialis æqualiter divisi, tum noctis similiter in 12 partes æqualiter divisæ. Appellantur autem *inæquales et temporariæ*, quod pro diversis anni temporibus productiores contractioresve sint.

Jamvero inæqualibus hisce ac temporariis horis fere ubique obsoletis a plerisque omnibus populis totum illud diei spatium, quod a media nocte ad mediam noctem statui diximus in horas 24 æquales distribuitur. Singulas autem horas in sexaginta horaria scrupula seu *minuta* prima æqualia, hæc in totidem (minuta) *secunda*, rursus hæc in *tertia* et reliqua ad eumdem modum sexagenaria divisione partiuntur.

43. Horæ æquales aliæ dicuntur *Babylonicæ*, quarum prima ab ortu solis inchoatur; aliæ *Italicæ*, quæ ab occasu solis; aliæ *astronomicæ*, quæ a meridie; aliæ denique *Europææ*, quæ tum a meridie, tum a media nocte incipiunt, ita ut tam in meridie quam in media nocte semper hora duodecima completa habeatur. Fere omnes Europæi enim horologia sua ita dispensant, ut diei horas 24 in duas æquales partes dividant, h. e. in duodecim, quot sc. horologia sonitu significant et media nocte et meridie; post quæ tempora hora prima auditur: prima scilicet a meridie, et prima a media nocte; et sic pergitur a secunda ad tertiam, dum ad duodecimam veniatur; secundum quam supputandi rationem in æquinoctio sol hora sexta oritur et sexta etiam occidit. (*Lalemant. de Anno.*)

HEBDOMADAS.

44. Etymologia. *Hebdomas* sive *hebdomada* secundum *Isidor. Etym. lib.* v. *c.* 32. dicta est a numero septem (ἑπτά) dierum, quorum repetitione constituitur. *Hebdomas* generatim sumitur pro numero septenario, sicut *ogdoas* pro octonario, *enneas* pro nonario, quia non solum de diebus dicitur, sed etiam de annis et quibuscunque rebus, quæ septenario numero comprehenduntur.

In monumentis sacris modo tempus ex septem annis compositum, ut *Gen.* 29, 28; *Levitic.* 25, 8; modo brevius temporis spatium ex septem diebus naturalibus constans designat. (*Calmet, de Judæorum chronologia dissertatio* commentariis ad Genesim præfixa.)

45. In veteri Lege præter hebdomadas primarum festivitatum maxime celebrabantur illæ, quarum meminit *Dan. cap.* 9. Cfr. *Petavius, de Doctrin. temp. lib.* XII.

In nova Lege una est hebdomada solemnis, quæ *major hebdomada* appellatur, estque ea quæ antecedit Pascha, olim *pœnosa* vocata, quod sit rememorativa Dominicæ passionis : vere magna, in qua humanæ redemptionis mysterium persoluto illius pretio consumatur. (*Durand. Rational. offic. divin. lib.* VI.)

46. Chronologi, aliis hebdomadum generibus neglectis, continuam septem dierum successionem simpliciter *hebdomadam* vocant. Hinc et Latini *septimanam* dicunt, quasi *septem mane*, h. e. luces; mane enim lux est. (*Isidor. l. c.*)

Hæc ipsum Deum institutorem habere videtur, quia die septimo a creatione mundi quievit atque Hebræi, a quibus hebdomadarum usum profluxisse credibile est, pariter die illo seu sabbato (1) quiescere jubebantur.

(1) *Sabbati* nomine non solum dies septimus cujusque hebdomadis venit, sed interdum etiam quivis dies solemnis et festivus, eo quod

In pluribus Scripturarum locis sabbati vocabulum pro tota hebdomade accipitur, reliqui dies autem a sabbato nominantur, ut *prima sabbati Matth.* 20, 1, hoc est, primus dies post sabbatum, qui Dominicus nobis. (*S. Hieronymus epist* 120. *ad Hedibiam.*)

Sabbatum sumptum pro ultimo hebdomadis die, quatenus is erat dies festus Judæorum, abrogatum fuit apud Christianos (1), qui propter Christi Domini resurrectionem die Dominico feriantur (2). Dies dominicus proin feria I. hebdomadis est ; ei ex ordine ita succedunt feria II, feria III, etc., ut more ecclesiastico singuli dies hebdomadis *feriæ* (3) vocentur, retento tamen nomine *sabbati* et *diei Dominicæ* (4).

Dies hebdomadis apud Ethnicos appellationem habebant a diis, quorum nomina Romani quibusdam sideribus sacraverunt. *Primum* enim diem a *sole* appellaverunt, qui princeps est omnium siderum, sicut et idem dies caput est cunctorum ; *secundum* a *luna*, quæ soli splendore proxima est et ex eo mutuat lumen ; *tertium* a stella *Martis*, quæ vesper vocatur ; *quartum* a stella *Mercurii ; quintum* a stella *Jovis*, *Phaetontem*

sabbati solemnitas maxima esset et reliqnas suæ vocis ambitu involveret, ut patet *Levitic.* 23. *et* 24. Immo totam hebdomadam hoc nomine vocarunt Judæi a digniore parte. Hinc Pharisæus in Evangelio (*Luc.* 8, 12) : *Jejuno bis in sabbato.*, h. e. hebdomada.

(1) *C. Pervenit.* 12. *D.* 3: *de Consecrat.*; *C. Omnes.* 1. *de Feriis.* (II, 9.)

(2) Card. Ursin. (Benedict. XIII.), in suis lectionibus *supra Exod.* quindecim rationes et mysteria assignat pro mutatione sabbati in diem Dominicum.

(3) *Feriæ,* dies cessationum ab opere, aliqnibns dictæ videntur a *feriendis* victimis, aliis ab epulis *ferendis*, quod in iis fiebant epulationes ex proventu fœtus pecudum et frugum. Apud Christianos autem omnes dies vocantur *feriæ,* ut se cogitent omni die feriari debere, h. e. a vitiis abstinere. Quoad clericos et officia divina dies appellantur *feriæ*, quia alteri rei, quam divino cultui vacare non debent, Ita *Tostatus*.

(4) Primum hebdomadis diem jam olim vocarunt *Dominicum*, non solum quod pecnliariter cultui divino esset deputatus: sed ob id potissimum quod maximis Dei operibus esset venerabiiis ac fuisset dies Dominicæ resurrectionis.

aiunt ; *sextum* a stella *Veneris* (1), quam *Luciferum* asserunt, quia inter omnia sidera plus lucis habere videtur ; *septimum* a stella *Saturni*. (*Isidor. Etymol. lib.* v, *cap.* 30. — *Patrol. Migne*, *tom.* 82. *pag.* 215.) Eadem plane ratione apud astronomos singuli hebdomadis dies a planeta dicuntur, quem primum cujuscumque diei horæ præesse cum Romanis fingunt. Quæ omnia ut uno in conspectu facile videri possint, hic velut in tabella descripta reperies.

DIES HEBDOMADIS.

	Astronomorum.	Christianorum.	Judæorum.
I	Dies Solis.	Dies Dominicus.	Prima Sabbati.
II	« Lunæ.	Feria II.	Secunda Sabbati.
III	« Martis.	Feria III.	Tertia Sabbati.
IV	« Mercurii.	Feria IV.	Quarta Sabbati.
V	« Jovis.	Feria V.	Quinta Sabbati.
VI	« Veneris.	Feria VI.	Sexta Sabbati.
VII	« Sabbati.	Sabbatum.	Sabbatum.

47. HEBDOMAS COMPARATE AD ANNUM CONSIDERATA. Anni partitionem in hebdomadas quod spectat, ex ordine notand hæc sunt :

1° Eam dividendi rationem, quæ originitus Judæorum propria erat, postea Romanis ac cæteris Gentibus ignoratam non fuisse, ea probant quæ habet *Tertullianus Apol. lib.* I. *cap* 13 : *Vos certe estis, qui etiam in laterculum septem dierum Solem recepistis.*

2° Nulli menses cum plenis hebdomadibus adæquantur, excepto februario, quando litera dominicalis est D in anno communi ; cæteri menses quippe supra quatuor hebdomadas biduum vel triduum excurrunt.

(1) Judæi diem ante sabbatum παρασκευήν, *parasceve*, h. e. præparationem vocabant, quia eo die parabantur necessaria, ne præceptum cessandi ab opere die festo sabbati violaretur.

3° Quamvis anni dies septenarium numerum non efficiant, annum nihilominus constare dicimus hebdomadibus 52, cum uno die superfluo in annis simplicibus seu communibus, in bissextilibus cum biduo.

4° In kalendario dies signantur septem prioribus alphabeti literis, quæ totidem diebus hebdomadis respondent. Si primus januarii dies, qui prima litera A signatur, dies dominicus sit, omnes totius anni dies hac litera affecti, non excluso 31. decembris, dies dominici erunt : unde sequens annus initium sumet a feria II, tertius a feria III, etc. Porro litera eadem A, quæ primum diem januarii semper afficit, omnibus illis feriis vicissim serviet, ac proin literæ *G*, *F*, *E*, ex ordine dominicales erunt juxta technicum istum versiculum ;

Gaudet Francus Equo, Dacus Cane, Barbarus Arcu.

Sed de literis dominicalibus postea *cap.* VI.

MENSIS.

48. Etymologia. Mensis a Græcis vocatur μήν, quod a μήνη, *luna*, descendit, quia est plus minus spatium illud, quo luna zodiacum percurrit. Ita *Varro Ling. lat.* V, 2. At juxta *Ciceronem* vocabulum etymon habet a verbo *metior ;* dicit enim *de Nat. Deor. II,* 27 : *Qui, quia mensa spatia conficiunt, menses nominantur.*

Mensium duo sunt genera ; nam alii *astronomici* seu *naturales* sunt, alii *civiles* seu *politici :* naturalium species duæ, quod partim solis (*solares*), partim lunæ (*lunares*) esse dicuntur.

49. *Secundum solem* fit mensis, dum sol unumquodque in zodiaco orbe signum percurrit, estque naturalis solis transitus ab uno zodiaci signo ad aliud signum. Hæc *lib. VII, c.* 1. *de Doctr. Temp. Petavius* post *Censorin. c.* 22.

Quia vero sol proprio motu ab occidente in orientem se promovens singula zodiaci signa non æquali tempore pera-

grat, sed longius in Ariete, Geminis, cæterisque signis septentrionalibus moratur, quam in Sagittario, Capricorno et aliis signis australibus; idcirco menses solares astronomici æquales sibi non sunt, sed æstivi longiores sunt hyemalibus et omnium maximus est solstitiarius æstivus, qui comprehendit dies 31, horas 11, minut. prim. 36; e contrario omnium brevissimus est solstitiarius hybernus, quum sol illius signi portionem emetiatur intervallo dierum 29, hor. 8, minut. pr. 54.

Præter hunc mensem *verum et inæqualem*, spatia habentem inæqualia, aliud genus fecerunt astronomi, mensem *medium* sive *æquabilem*, quando sol æquali motu zodiaci signa peragrare fingitur.

50. Mensis *lunaris* astronomicus est temporis quoddam spatium, quo luna orbem unum conficit. Mensis lunaris non unius generis est; alius enim *periodicus*, alius *synodicus*, alius *apparitionis* seu *illuminationis* dicitur. Mensis lunaris *periodicus*, quem etiam *conversionis*, *peragrationis*, *ambulationis* et *circulum lunæ* appellant, est hujus sideris conversio, qua ab aliquo zodiaci puncto circuitu suo peracto ad idem revertitur, quod fit spatio dierum 27, hor. 7, minut. prim. 43 et minut. secund. 7. Mensis lunaris *synodicus*, qui kalendario inservit quique a conjunctione lunæ cum sole *congressus lunæ* vocatur, illud temporis intervallum est, quod luna inter accessum a sole et reditum ad ipsum insumit. Quoniam interim dum a sole digressa luna ad eundem revertitur, sol proprio motu gradus aliquot emensus est, biduum fere ad solem assequendum requiritur, unde fit, ut diebus constet 29, horis 12, min. prim. 44, secund. 3, tert. 11 (1). Mensis synodicus ipse et in *medium* et in *verum* itidem subdividitur.

(1) Cfr. *Clav. Lib.* II, *cap.* 1. Recentiores astronomi mensi lunari synodico tribuunt dies 29, hor. 12, 44', 2'', 85'''. Differentia ergo, quæ singulis lunationibus est 26''', singulis annis — 12 lunationibus constantibus

. Tandem mensis lunaris *apparitionis* sive *illuminationis* tempus nominatur a primo conspectu novæ lunæ in eodem mense usque ad conspectum alterius, quod spatium diebus 28 comprehendi putant chronographi. (*Petav. l. c. cap.* 4.)

51. *Menses civiles* seu *politici*, juxta *Censorin. c.* 10, sunt numeri quidam dierum, quos unaquæque civitas suo instituto, ad negotia sua tum sacra tum profana accommodatos observat, ut Roma a kalendis in kalendas, Græcia a neomeniis seu noviluniis in neomenias, non autem a kalendis in kalendas, quarum usu carebant (1), tametsi kalendarum appellatio græca sit.

Rationem mensium, quos varii populi observarunt, multis declarat Petavius in suo opere *de Doctrina temporum*. Nos de solis Græcis et Romanis mensibus pauca hæc notasse satis habemus.

52. *De Mensibus Græcorum.* Græci mensem quemlibet in tres decades distribuunt : quarum primam decadem μηνός ἱσταμένου, secundam μηνὸς μεσοῦντος, tertiam μηνὸς φθίνοντος vocabant : quasi dicas *decade mensis instantis*, *decade mensis medii* et *decade mensis desinentis*. Deinde primæ decadis primum diem νουμηνίαν, secundum δευτέραν ἱσταμένου, tertium τριτὴν ἱσταμένου, et sic deinceps usque ad δεκατὴν ἱσταμένου, et similiter aliarum decadum dies numero sui ordinis exprimunt. Cfr. *Theod. Gaza* et *Poll. primo* ὀνομαστικῶν.

Sunt qui dies *illunes* appellant eos qui sunt a vicesimo nono ad secundam novam. Id tempus alii *coitum*, ut inquit Plinius, alii *interlunium*, alii *silentis lunæ conjunctionem*, alii

—evadet 4'', atque inta 21,600 annos unum diem efficiet, qui post lapsum hujus periodi annorum subtrahi potest firma semper manente forma kalendarii. Cfr. supra n. 17. Unde ex recentiori computo moveri non potest scrupulus contra correctionem kalendarii Gregoriani, de qua infra n. 59.

(1) Hanc ob causam Augustus, *quum aliquos nunquam debita soluturos significare vult ad kalendas græcas soluturos* ait. *Suet. Aug.* 87. Romani enim debita solvere tenebantur kalendarum initio.

jugum, alii et *novilunium*: Græci νουμηνίαν, συζυγίαν, σύνοδον; ut et primam lunam μηνοειδῆ, h. e. corniculatam et falcatam, nondum semiplenam, sed cavam et cornutam, septimam vocant διχότομον καὶ ἡμίτομον, h. e. semiplenam, dimidiatam, dividuam, rectam. Undecimam vocant ἀμφίκυρτον h. e., gibbosam, gibberosam, turgidam et tumidam. Decimam quintam πανσέληνον, h. e., *plenilunium* et *oppositionem* dicunt. A plenilunio rursum fit ἀμφίκυρτος, gibbosa, exin rursum διχότομος, et tandem fit μηνοειδής, dum iterum ad σύνοδον seu conjunctionem redeat.

Omnes hæ lunæ facies seu διαθέσεις, *visitationes* Latinis (1), Græcis φάσεις etiam dicuntur.

Hæc de divisione mensis lunaris a Græcis adhibita. Ad formam vero quod spectat, ex prolixa lunationum descriptione, quam habet *Petavius*, has regulas, quæ etiam usui sunt in kalendario ecclesiastico, excerpsisse pro commentarii nostri ratione satis erit.

I. In kalendario lunationes civiles, non astronomicæ spectantur (2). Hinc lunationibus, quæ in decemnovennali cyclo digeruntur, non semper accuratus ille dierum numerus imputatur, qui syzygiis cœlestibus competit. (*Petav. l. V. c.* 9.)

II. Lunatio ejus est mensis, in quo terminatur. Itaque lunationes omnes, quæ v. g. in decembri cœptæ in januario

(1) Luna, ait *Vitruv.* IV, 4. quoniam cum sole est, *nova* vocatur; postera autem die, quo numeratur secunda, præteriens a sole *visitationem* facit tenuem extremæ rotunditatis.

(2) Ejus rei plures a *Christ. Clavio* (*Novi Calend. Apol. lib.* I, *c.* 4.) afferuntur rationes, e quibus potissima ea est, quod regionum ac meridianorum varietas efficit, ut Ecclesia veris siderum motibus neglectis, medios seu potius cyclos assumere debeat. Si enim, v. g., luna 14. incidat in diem 21. martii, *juxta computum astronomicum* ea luna paschalis erit in parte orientali; in occidentali autem non erit. Cæterum si tempus astronomicum verum attendendum esset, annus civilis, qui in kalendario describitur, exordium sumere deberet ab aliqua fractione diei, horæ vel minuti, quod ab usu universaliter recepto quam maxime abhorrere nemo non videt. Cfr. n. 62.

desinunt, ipsi januario, in quo clauduntur, tribuuntur (*l. c. c.* 13.).

III. Lunationes plenæ (h. e. 30 dierum) cavæque (h. e. 29 dierum) alternis ita disponuntur in kalendario, ut quæ in primum et impares deinceps menses desinant, plenæ sint, quæ autem in paribus finiantur, cavæ, paucis exceptis, *l. c.* Unde versus :

Luna paris mensis nunquam trigesima fiet,
Impar triceno nunquam nisi fine carebit.

IV. Lunationes omnes, quæ a februario cœptæ et in martium desinentes tricenariæ alioqui sunt, anno bissextili uno die auctiores fiunt (*l. c. c.* 9.).

V. Initia mensium lunarium varia esse vel ex ipsa mensis lunaris divisione (num. 50.) adducta patet. Sic lunaris mensis epocha vel ab ipsa synodo seu coitu luminarium, vel a φάσει ac secundo die, vel a cornicutata illius effigie dieque tertio ducitur. Postremum hoc initium maxime Arabes adsciverunt : primum vero Judæi in vulgari recentiorique computo ; secundum olim, stante templo, eosdem observasse, *libro II.* docet *Petavius.* Ex his diversis initiis accidit, ut XV. luna mensis civilis alias in plenilunium ipsum medium incurrat, alias uno die saltem antevertat, alias uno item die vel altero etiam subsequatur. Sed nec illud omittendum est, quum syzygia lunaris media diebus constet 29, horis 12, minutis prim. 44 ; dimidiata vero diebus 14, horis 18, minutis prim. 22, si noviluniorum calculus ab ipso dierum initio procederet, plenilunium medium decimum quintum mensis lunaris diem occupaturum fuisse ; sed eumdem tamen inclinantem ac plus dimidia jam parte confectum. Verum, quum raro ab ipso diei civilis exordio neomeniarum initia colligantur, fit, ut plenilunium medium in XVI. diem lunationis interdum incidat. Hæc *Petavius lib. V. c.* 14. Cfr. infra *cap. VIII.*

53. *De Mensibus Romanis.* Romulus annum in decem

menses divisit, quorum primus erat *martius*, secundus *aprilis*, tertius *maius*, quartus *junius*; reliqui sex a numero suo nomen trahebant vocabanturque *quintilis, sextilis, september, october, november, december*.

Numa Pompilius, quum Romuli annum ex decem mensibus compositum nec solis nec lunæ cursui congruere cerneret, duos menses addidit *januarium* et *februarium* (1), constituitque, ut hic duodecim mensium annus a januario deinceps exordium haberet, eo quod hic mensis fuerit *Jano* bicipiti sacer, sicque tanquam bicipitis dei mensis alter Janus biceps videretur, respiciendo finem anni antecedentis et initium sequentis. (*Isidor. Etymol. lib. V. c.* 33. *n.* 3. — *Patrol. Migne, tom.* 82. *p.* 219.)

Julius Cæsar, qui ad solis cursum annum direxit atque idcirco ex 365 diebus et sex horis constituit, dierum numerum quibusdam mensibus auxit, ut, v. g., *september* et *november*, qui antea habebant 29, constarent ex triginta, et sic de reliquis (*Suet. in Vita Aug.* et *Macrob. Saturnal. I*, 14.), ita ut annum adhuc inchoando a mense martio, mensibus imparibus, nempe *martio, maio, quintili* seu *julio, septembri, novembri, januario* dies tribuerit 31; aliis vero sex paribus, videlicet *aprili, junio, sextili* seu *augusto, octobri, decembri, februario* dies solum 30 dederit.

Ad complendum januarium, ultimum mensem imparem, diem unum subtraxit februario, ultimo mensi pari, cui proinde relicti dies 29. Deinde Augustus imperator, ægre ferens mensem sibi cognominem uno die minorem esse julio, unum adhuc diem subtraxit februario et augusto adjecit, sicque februario, ut nunc in anno communi, superfuere dies tantum 28, quasi inferis, quibus erat sacer, et diminutio et

(1) Hinc *Ovid. Lib.* I. *Fast.* sic canit:

Martis erat primus mensis Venerisque secundus,
Hæc generis princeps, ipsius ille pater.
At Numa nec Janum nec Avita præterit Umbras,
Mensibus antiquis præposuitque duos.

par numerus conveniret. (*Macrob. Saturnal. lib. I, c.* 13.) Ne vero tres menses continui dierum 31 essent, unum idem Augustus detraxit septembri et addidit octobri, ac unum item surripuit novembri et adjecit decembri. (*Purchot. Institut. philosoph. tom. III. p.* 2. *sect.* 2.) Et ista quidem ratione constitutum dierum numerum complectuntur versus hi, quos pueri didicimus:

> *Aprile* ter denos, *junius*, *septem*que, *november*;
> Uno plus reliqui: viginti *februus* octo,
> Sed si *bissextus* fuerit, superadditur unus.

Duodecim menses juliani vere civiles sunt, quia neque numero dierum neque capite cum naturalibus congruunt.

54. Romani mensium dies in tres ordines distribuebant, in *kalendas*, *nonas* et *idus*, a quibus nominibus dies ipsi denominationem acceperunt.

Kalendæ, quas appellationem habere diximus a græco verbo καλέω, calo, primo cujuslibet mensis accidunt; *nonæ* autem vel in quintum vel in septimum diem cadunt.

Nonarum vocabulum varii varie exponunt. Sunt qui *nonas* sic dictas putent vel a particula *non*, eo quod dii non colerentur nonis, vel a *nundinis*, eo quod teste *Macrob. Saturnal. I*, 16. nundinæ per novem dies agerentur. Alii contra putant nonas dictas esse a *nonus*, quia a die quinto vel septimo inclusive usque ad idus, h. e. diem XIII. vel XV. inclusive *novem* dies numerantur (1). Alii denique *nonas* a *novus* deducunt, quasi novæ initium observationis, quia post novam lunam nonarum die populares, qui in agris erant, confluebant in Urbem accepturi causas feriarum a rege sacrorum scripturique quid esset eo mense faciendum. (*Fore.*

(1) Addit *Macrob. l. c.* ex Rutilio, Romanos instituisse *nundinas* ut octo quidem diebus rustici in agris opus facerent, *nono* autem die, intermisso rure, ad mercaturam legesque accipiendas Romam venirent. *Nundinæ* ergo sunt quasi *novendinæ*, *novem dies*, quod idem certe videtur esse *nonarum* etymon.

ad. V. Nonæ.) Duas has posteriores notationes adducit *Varro Ling. lat. V, 4.*

Idus, h. e. nonus dies mensis a *nonis* numeratus, vel in XIII. vel in XV. mensis contingunt. Vocabulum ab antiquo verbo *iduare*, quod est dividere, deduci creditur, quia circa medium mensem occurrunt eumque veluti in duas partes æquales dividunt, juxta *Horat. lib. IV. carm. od. 11* :

Idus tibi sunt agendæ,
Qui dies mensem Veneris marinæ
Findit aprilem.

Qui cujusque mensis dies appellationem *Kalendarum, Nonarum, Iduum* sortiantur, hi versus docent :

Prima dies mensis cujusque est dicta KALENDÆ,
Sex Maius NONAS, *October, Julius et Mars,*
Quatuor at reliqui : tenet IDUS *quilibet octo ;*
Inde dies reliquos omnes dic ante kalendas,
Quas retro nominans sumes a mense sequenti.

55. Dies inter kalendas, nonas et idus medii ab his ipsis diebus retro numerantur, usque ad diem alterius denominationis, v. g., dies 31. julii (*dies ante seu*) *pridie kalendas augusti;* dies tricesimus, *tertio kalendas augusti;* dies vicesimus nonus *quarto kalendas augusti* dicitur, et sic porro receditur usque ad 15. julii, qui *idus* appellatur. Ab hoc iterum retro numeratur, ita ut 14. sit (*dies ante* seu) *pridie idus julii*; 13. *tertio idus julii* etc., donec ad 7. julii deveniatur, qui *nonæ* vocatur, ac eadem prorsus ratione usque ad primum diem mensis, cui *kalendarum* nomen est, perveniatur.

Si dies Romanos ad nostri kalendarii rationem revocare velis, observanda hæc sunt :

Si de *nonis*, aut *idibus* sermo sit, quis dies nonæ, quis idus in illo mense dicatur, inquire. Huic numero unitatem addes atque a summa numerum, quo dies Romanus effertur, subduces ; residuum dabit diem nostro kalendario respondentem. V. g. *quinto idus decembres* si invenias, scias 13.

diem dici *idus*. Huic adde 1, summa erit 14 ; a qua subtrahes 5, et novenarius residuus indicabit, esse *nonum decembris* kalendarii nostri.

Quodsi *kalendæ* in veterum Romanorum scriptis vel in kalendario Romano occurrant, v. g. 13 *kalendas julias*, meminisse oportet, quot dies habeat *Junius* (supra n. 53.) : numero dierum mensis, v. g. junii, adde duo et habebis 32, a quibus si 13 subduxeris, dabit residuum 19. diem junii kalendarii nostri.

Contrarium obtinet, si denominationes dierum in kalendario nostro receptas Romano more exprimere velis. Videndum nimirum, utrum dies datus in nonas, idus an kalendas incidat; si vero in nonas aut idus cadat, numero nonarum aut iduum addes unitatem, a summa subtrahes diem dictum et residuum indicabit diem nonarum aut iduum. Si v. g. quæratur, qua ratione 2. julii Romano more exprimatur, quum nonæ hujus mensis incidant in 7. diem, dies 2. Julii in nonis collocandus erit. Tum 7 augebis unitate et summæ 8 demes dictum diem 2. Julii : quod supererit indicabit nonas julii, nempe 6 *nonas julii*. Eadem ratione de idibus disserendum.

Si vero dies propositus ad kalendas pertineat, numerus dierum mensis per 2 augendus, a summa datus numerus subtrahendus, residuoque kalendarum nomen erit, addita denominatione a mense sequente. Sic 24. *octobris* exprimetur *nono kalendas novembres*. Si enim numero dierum mensis octobris duo adjunxeris, habebis 33 : demptis 24, superfluus erit numerus *nonarius*. (*Petav. l. c. lib.* VII. *cap.* 2.)

Ex dictis etiam patet, formas *quarto kalendas*, *tertio nonas* etc. ellipticas esse ; plena oratio enim foret *quarto*, *tertio die ante kalendas*, *nonas*, etc.

56. *De nomenclatura mensium Romanorum* hæc docent, qui originem et rationem verborum exponunt.

Januarius, olim undecimus, deinde primus anni mensis, a *Jano* bicicipite, cui sacer erat, nomen habet. S. *Hieronymus Ezech.* 28. *Januarium* tamen dictum putat, quod *anni sit janua et limes.*

Februarius dictus est a *februis* (1), quod tum *februaretur* populus, h. e. expurgaretur. Nam Luperci primo die, qui *februatus* dicebatur, omnem Urbem veterem pelles caprinas in manibus gestantes circumcursabant idque piamen censebatur. Præterea duodecim diebus continuis pro defunctorum manibus *februa*, h. e. sacrificia expiatoria fiebant (2). Putabant enim antiqui Romani, supertitiosis suis sacrificiis animas corpore jam exutas purgari purgatasque cum inferorum diis sic placari posse, ne sibi, ut timebant, apparerent et nocumentum afferrent. Alii tamen Februarium dictum putant a deo *Februo*, id est Plutone vel Plutonis patre, cui eo mense sacrificabatur. (*Macrob. Saturnal.* I, 13. *S. Isidor. Etymol. lib.* V. *c.* 33.)

Martius primus olim ipsius anni mensis *Marti* parenti dicatus a Romulo, ut est apud *Ovid. Fast. l. c.* : *Martis erat primus mensis.*

Aprilis ita dictus, quasi *aperilis*, quod terram aperiat ad producendas herbas et fruges (*Varro. Ling. lat.* V, 4. *Macrob. Sat.* I, 12); vel quasi *Aphrilis* ab ἀφρός, spuma, quod Venus, cui sacer erat, ex spuma maris orta dicitur, ex quo et Ἀφροδίτη appellatur. (*Ovid. l. c.*) Alii tandem a nomine *aper* deducunt, quod eo mense porcus sacrificabatur.

(1) *Februa* dicebantur sacra expiatoria et omne id, quod olim vim purgandi habere existimabatur. Vocabulum etymon habet a verbo *ferbeo* seu *ferveo* ; unde *ferbuum* et trajectis literis *februum* ; nam lustratio fiebat plurimum igne aut undis ferventibus.

(2) Hinc *Ovid. Fast.* 2 :

« *Ipse sacerdotem jactantem*
Februa vidi,

h. e. vidi aspergentem purgationes. (*Tostat. p.* III. *Defensorii*, *c.* 81.)

Maius nomen habet a *majoribus natu*, in quorum gratiam erat consecratus, sicut sequens *Junius* a *junioribus* (1), quibus erat dicatus, majoribus nimirum rempublicam gerentibus consilio, minoribus vero armis; juxta nonnullos etymologos autem nomen habet a Dea *Maia*, matre Mercurii, cui hoc mense sacrificabant, vel a *Maio* Deo, h. e. *Jove*.

Junius a *junioribus* vocatur, quos Romulus voluit regio corpori adesse et armis rempublicam defendere, ut dictum est. Alii tamen putant, appellatum esse a *Juventute* seu *Hebe*, filia Junonis, quam Romani in Deorum numero venerati sunt. Alii censent a *Junone* vocatum esse et primo dictum fuisse *Junionalem* vel *Junionium*, deinde *Junium* per syncopen. Alii a *Junio* Bruto, qui primus consul fuit et civitatem regio dominatu liberavit. Alii a *jungo*, extrito *g*, in memoriam illius unionis, qua Romulus et T. Tatius, rex Sabinorum, regnum et populum junxerunt.

Julius, olim Quintilis, h. e. quintus mensis a *Martio*, ita appellatus est in honorem Julii Cæsaris, legem ferente Marco Antonio consule, quod eo mense a. d. IV. Idus natus esset, ut apud *Macrob. Sat.* I, 12 legitur.

Augustus olim a loco quem a Martio obtinebat *Sextilis* dictus, in Octavii Cæsaris honorem *Augusti* nomen adeptus est, quia eo mense primum consulatum inierat, ter triumphator in Urbem ingressus fuerat, Ægyptum in ditionem populi Romani redegerat finemque imposuerat bellis, ut est in ipso senatus consulto hac de re lato quod a *Macrobio Sat.* I, 12 refertur.

Reliqui quatuor menses *September* (2), *October*, *November*,

(1) Unde *Ovidius l. c.*:

Tertius a senibus, juvenum de nomine quartus.

(2) Respublica Gallicana ex decreto 24. novemb. 1793. initium anni ad 22. septembris transferens duodecim menses ita vocavit: *Vendémiaire, Brumaire, Frimaire; Nivôse, Ventôse, Pluviôse; Germinal, Floréal, Prairial; Messidor, Thermidor, Fructidor.* Et hæc mutatio quidem adhiberi

December, simpliciter nomen habent a loco quem a Martio Romulei anni exordio, obtinent. (*Varro Ling. lat.* v, 4. *Auson. de mensibus.*) Et quavis *er* sive *ber* nihil nisi terminatio esse videatur, sunt tamen, qui nomen etymologica ratione resolvendum putent in voces *septem*, *octo*, *novem*, *decem* et *imber* eo quod, ut aiunt ipsi, ab *imbre* vocarentur September, October, November, December, quippe his mensibus notato intervallo pluviam ad vindemiam et serendum pernecessariam prisca ætas sibi promittebat: a Decembri vero desinunt menses ab imbre, quoniam refert agricolas hiemes optare serenas. Ita *Forc.* Hinc *Cassiodorus*, *Variarum sive epistolarum lib.* I, 35. *ait : Quod ab ipsis quoque mensibus datur intelligi, quando ex numero imbrium futurorum competenter nomina susceperunt.* Et *S. Isidor. Etymol. l.* v. *c.* 33. *cit.* : *September,* inquit, *nomen habet a numero et imbre, quia septimus est a Martio et imbres habet. Sic et October, November atque December ex numero et imbribus acceperunt vocabula.*

De Romanorum mensibus etiam scripsit *Beda Venerabilis de Temporum ratione* cc. 12. et 13. (*Patrol. Migne, tom.* 90. *pag.* 347.), quem vide, si plura vis de his cognoscere.

a Republica cœpta est a. 1792, sed mox, h. e. a. 1806, nomina pristina suis reddita mensibus fuerunt, ut adeo dici de gallicana innovatione possit, quod priori illi mutationi accidisse narrat *Ælius Lampridius*, quam *Commodus Antoninus* facere tentaverat, nimirum post obitum ejus in senatu acclamatum: *menses his nominibus nuncupandos*, quibus nuncupabantur, quum primum illud malum in rempublicam incubuit. (*Æl. Lamp.* in Vita *Commodi Antonini.*)

DE ANNI CORRECTIONE EJUSQUE NECESSITATE, AC KALENDARIO GREGORIANO.

CAPUT II.

Textus Procemii. Quod dictum est, annum continere trecentos et sexaginta quinque dies, et fere sex horas, intelligendum est, sex horas non esse integras, cum ad earum complementum aliqua minuta deficiant. Ex quorum minutorum neglectu progressum est, ac si annus, ultra dies 365, contineret integras sex horas : et factum est, ut minuta, quæ ultra debitam quantitatem annis singulis tribuebantur, tractu temporis ita excreverint, ut invicem juncta constituerint dies decem, qui causam dederunt ut Æquinoctium vernum sedem suam mutaverit.

Cui malo occurrens Gregorius XIII. non solum Æquinoctium vernum restituit in pristinam sedem, a qua jam a Concilio Nicæno, decem circiter diebus in anno correctionis 1582. præcedendo recesserat, quod a Concilio ad XII. Kal. aprilis fuerat constitutum, et XIV. lunam Paschalem suo in loco reposuit; sed viam quoque tradidit, et rationem, qua caveretur ut in posterum et Æquinoctium vernum, et XIV. luna Paschalis a propriis sedibus numquam removerentur.

Ut enim Æquinoctium vernum ad XII. Kal. aprilis restitueretur, statuit, ut dicti decem dies in mense octobris ipsius anni 1582, eximerentur, ut post quartam diem octobris S. Francisco sacram, sequens dies non esset quinta, sed decima quinta octobris. Et ita error, qui in præteritum tot annorum circulis irrepserat, in momento temporis fuit correctus.

Ut autem in posterum idem error vitaretur, ne a XII. Kal. aprilis Æquinoctium vernum recederet, statuit idem Gregorius, Bissextum quarto quoque anno (uti mos est) continuari debere, præterquam in centesimis annis : qui quamvis Bissextiles antea semper fuerint, qualem etiam esse voluit annum 1600, anno correctionis proximum, post eum tamen, qui deinceps consequentur centesimi, non omnes Bissextiles essent, sed in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine Bissexto transigerentur : quartus vero quisque centesimus esset Bissextilis, ita ut anni 1700, 1800, 1900, Bissextiles non sint, anno vero 2000, more consueto, dies Bissextus intercaletur. Februario dies 29 continente : idemque ordo intermittendi intercalandique Bissextum diem in quadringentis quibusque perpetuo conservaretur.

COMMENTARIUS.

KALENDARIUM.

57. Etymologia. Notationes vocis etymologi tres conficiunt, primam atque alteram rejiciendas, tertiam probandam.

Sunt igitur, qui — litera vocali *a* mutata in *o* — Kalendario Colendarium substituentes, appellationis originem a cultu festorum, vocabuli notationem vero a *colendo* deducant, quia, inquiunt, primus cujusque mensis dies Junoni sacer erat, ut docent *Ovidius* (*Fast.* I, 55) et *Macrobius* (*Sat.* I, 15) ubi plura hac de re. Alii Kalendarium etymon habere volunt a καλόν, quod est *bonum omen* per totum mensem habendum ; tunc enim sibi mutuo encænia transmittebant Romani, quasi *boni fati augurio*, uti habetur *can. Non observetis* 16. c. XXVI, *Q.* VII. *Durand. lib.* VIII, *c.* 4. *n.* 15.

Ast vero propius accedit, quod alii docent, Kalendarium nimirum a *Kalendis* dici, *Kalendas* autem a verbo καλεῖν, a quo *calo, as* factum est.

Jam vero verbum *calo,* quod purum putumque ex græco est (1), tres habet significationes *vocandi, nominandi* et *invocandi*: totidemque notionibus a priscis Latinis usurpatum est. Utebantur enim voce *calandi*, quum *vocabant* populum ad comitia, ut dies Nonarum cujusque mensis indicerent. Primis reipublicæ temporibus scilicet, antequam Fasti vulgarentur, solebat Pontifex populum *calare*, h. e. convocare in Capitolium, ibique peracto sacrificio pronuntiare inter alia, quot numero dies a primo ad Nonas superessent, quin-

(1) Et hoc quidem in causa est, cur etiam per K græcam literam *Kalo Kalendæ, Kalendarium,* scripta reperiantur. Sed quum pro ea Latini passim *C* substituerint in aliis verbis, non est cur *Calare, Calendæ, Calendarium* scribere non liceat.

quene an septem? Et *quintanas* quidem juxta *Macrobium* (*Sat.* I, 15) quinquies pronuntiato verbo *calo*, *septimanas* autem repetito septies prædicabat, et ideo plurali numero *Kalendæ* a pluribus vocationibus appellatæ sunt; juxta *Varronem* (*Ling. lat.* V, 4) vero hac altera formula in *calandis* diebus utebatur Pontifex : *Quinque dies te calo Juno novella ; Septem dies te calo Juno novella*, id est : hoc mense per quinque vel septem dies invoco te Juno novella. Quia enim primi cujusque mensis dies Junoni sacri erant, juxta illud *Ovidii : Fast.* I. 55.

Vindicat Ausonias Saturnia Juno Kalendas,

ideo in iis diebus pronuntiandis Junonem invocabat Antistes, atque itidem verbum *calo* adhibebat. *Varr. l. c.* (1). Hinc factum, ut primo diei mensis *Kalendarum* appellatio tributa sit.

Conscriptis postea Fastis et Kalendario constituto, cessatum est a *populi calatione*, mansit tamen *Kalendarii* vocabulum.

58. *Kalendarium* generatim sumitur pro libro, in quo anni, mensium, hebdomadum, dierum ac lunarium mutationum ratio perscribitur, atque omnium illorum, quæ diebus ac mensibus adjuncta sunt, ordinatio exhibetur (2).

(1) Ad hunc paganorum ritum atque ad vetitas Kalendarum observationes referuntur *can. Non licet.* 13. *Signis calendas* 14. *Non observetis* 16. *c. XXVI q. VII.*

(2) *Kalendarium* librum fœnebris pecuniæ creditæ, seu codicem, in quem nomina debitorum referuntur, in Jure significat : *l. Ejus, qui* 41. *ff. de Rebus creditis.* (*XII*, 1.), *l. Uni ex hæredibus.* 58, *ff. de Peculio* (*XV*, 1.) et aliis locis. *Divitem illum putas*, ait *Seneca* (*Epist.* 80.) *qui in omnibus provinciis arat, quia magnus illi Calendarii liber volvitur.* Hoc autem nomen ex eo descendit, quod in Kalendas veteres fœnerari solerent, ideoque Kalendarum nomine ejusmodi librorum paginis præposito, quæ deinde nomina fecissent, adscribere solebant. Hinc locutiones : *calendarium exercere, Kalendarii actio, Kalendario destinatæ pecuniæ, Ex Kalendario nomina*, et aliæ hujusmodi, quæ passim in Corpore juris occurrunt ; eas tamen nec vacat nec ad præsentis commentarii institutum opus est hoc loco distinctius explicare.

In Kalendario ecclesiastico observari insuper oporte *Epactas*, *Literas Dominicales*, atque ex his ortum *Cyclum solarem*, *Indictionem* cæteraque omnia, quæ ad temporum cognitionem spectant.

Kalendarium etiam Μηνολόγιον ἑορταστικόν dicunt ; ast *Menologii* appellatio libris iis maxime tribuitur, qui Sanctorum cœlitum vitas, mensium ordine servato, complectuntur. Græci autem seriem hanc dierum festorum *Kalendarium*, sive Καλανδολόγιον non dixere, quod apud eos profana vox esset, nec eam Latinorum more ad sacra traduxissent : quemadmodum declarat canon III. Nicephori confessoris : *Apocalypsin Pauli, et ea, quæ dicuntur Brontologia et Selenodromia aut Kalandologia, suscipere non oportet : profana enim sunt :* βέβηλα γὰρ πάντα (1). (*Morcelli Kalendar. tom.* I. §. 2.)

KALENDARII CORRECTIO EJUSQUE NECESSITAS.

59. Christiani, Romanorum ditioni subjecti, leges anni Juliani usurparunt atque, ut ipsorum religioni et dierum festorum celebrationi serviret, pluribus inventionibus locupletarunt, de quibus cfr. *Petav. op. de Doctrin. Temporum.*

Etsi autem Juliana cum intercalandi tum lunationes inveniendi methodus initio optatum finem consequi videbatur : quia tamen utraque labis expers non fuit, duo evidentia vitia progressu temporis invexit, ut supra monuimus n. 18.

Horum primum est *anticipatio æquinoctii vernalis* ac proinde reliquorum etiam solis graduum. Quum enim dies Ἐμβολιμαῖος quolibet quadriennio insertus 11 ferme minuta primaria temporis plus ingerat, quam rei veritas deposcat, idcirco spatio 134 annorum æquinoctia et solstitia in diem

(1) *Hardouin, tom.* IV, *pag.* 1052.

mensis antecedentem proximum rejicit : sic ut æquinoctium vernum, quod Julii Cæsaris ævo 24. circiter martii tenuit, circa annum correctionis Kalendarii 1582. in 11. martii remeavit. Unde rebus hujus mundi durantibus consequeretur, vernos tandem dies in Februarium et ultra retrolapsuros. Hanc æquinoctiorum anticipationem, quam etiam solarem προήγησιν vocant (1), pluribus describit *Petavius* (*de Doctrina Temp. lib.* V. *cap.* 2).

Alterum Juliani Kalendarii vitium fuit *Noviluniorum et Pleniluniorum antecessio et ab aurei numeri sede divulsio.* Quum enim J. Cæsar supposuisset, lunationes omnes singulis 19 annis exactis in pristina loca, h. e. eosdem mensium dies atque horas reverti, calculus vero doceat, Enneadecæteridem lunarem, 235 Lunæ orbes continentem, sesquihora fere minorem esse cyclo novemdecennali Metonico a J. Cæsare assumpto : tanta fuit tempore Gregorii PP. XIII. *Noviluniorum antecessio*, ut ea citius quatuor diebus contingerent, quam *aureus numerus* illa in Kalendario demonstraret ; singulis 304 annis enim Novilunia omnia *aurei numeri sedem* hor. 23, minut. pr. 21, id est, unum ferme diem antevertere debebant, ut propositis ac collatis inter se tabulis palam facit *Petavius* (*l. c. cap.* 1).

60. His incommodis jamdudum quærebatur remedium. *Petrus de Alliaco*, Cardinalis Cameracensis, obtulit *Joanni XXIII.* et Synodo Romanæ an. 1412. libellum *de Emendatione Kalendarii*: formavit quidem Pontifex decretum, illud tamen noluit executioni mandari, usquequo sedato schismate Deus Ecclesiæ suæ unionem dedisset. Schismaticis igitur Ponti-

(1) Hæc *æquinoctiorum præcessio*, quam Kalendarium Julianum invexit, confundi non debet cum naturali illa æquinoctiorum anticipatione, quæ ex eo provenit, quod puncta in quibus sese intersecant æquator et ecliptica non sint fixa. Sol quippe ad puncta intersectionis jam pervenit, antequam ad camdem stellam, a qua discesserat, regrediatur, sicque *æquinoctia præcedere* dicuntur. Causa hujus præcessionis, generatim loquendo, ex gravitatione universali repetenda est.

ficibus sede motis idem Cardinalis eumdem libellum adjecta formula decreti Pontificii exhibuit concilio *Constantiensi* an. 1417. Quum autem nec hoc loco res perfecta fuisset, *Nicolaus Cusanus* in concilio *Basileensi* idem argumentum erudito opusculo tractavit, quod cum aliis ejus libellis mathematicis insertum est operum volumini II. et inscribitur: *Reparatio Calendarii.*

Rursus constitutum erat *Leoni PP. X.* negotio huic finem imponere in concilio *Lateranensi V.*; scripsit igitur ad *Maximilianum* Imperatorem, ut ejus jussu præstantes mathematici vel Romam venirent, vel per literas mentem suam aperirent in decima concilii sessione Kalendis decembribus 1514. habenda. *Joannes Eckius,* doctor Ingolstadiensis, libellum inscriptum: *De vera Paschæ celebratione Joannis Eckii theologi Diorthosis ad Leonem X. Pont. Max.* ad Pontificem misit, sed gloriam confecti hujus negotii Deus reservavit *Gregorio PP. XIII.* qui, *ut res, quæ omnium communis est, communi etiam omnium consilio perficeretur, an.* 1577. *compendium novæ rationis restituendi Kalendarii* (1) juxta Cyclum Epactarum ab *Aloysio Lilio* ordinatum, misit ad Principes Christianos et celeberrimas quasque Academias adhortans mathematicos, ut re diligenter considerata, aut ea quæ a Lilio proponebantur, probarent, aut si quid istis rectius nossent, candide impertiri vellent, promittens insuper, quæ ratio majori doctorum virorum parti aptior convenientiorque visa fuisset, eam quasi totius Christiani orbis consensum se esse probaturum ac secuturum. Auditis igitur ponderatisque doctorum hominum sententiis, negotium hoc feliciter absolutum et Kalendarium novum per orbem Christianum promulgatum fuit adjecta Bulla *Inter gravissimas,* VI. kal. martii 1582. (2) in qua operis sui rationem sic

(1) Ex Bulla *Inter gravissimas.* §. 5. Exstat Compendium istud apud *Clav.* in Procemio *Explic. Kal. pp.* 3. *seqq. Edit. Mogunt. an.* 1612.
(2) Bullar. Magn. Edit. Luxemburg. tom. II. p. 487.

declarat Pontifex: *Inter gravissimas Pastoralis officii nostri curas ea postrema non est, ut quæ a sacro Tridentino concilio Sedi Apostolicæ reservata sunt, illa ad finem optatum Deo adjutore perducantur.*

Sane ejusdem concilii Patres quum ad reliquam cogitationem Breviarii quoque curam adjungerent, tempore tamen exclusi, rem totam ex ipsius concilii decreto ad auctoritatem et judicium Romani Pontificis retulerunt.

Duo autem Breviario præcipue continentur, quorum unum preces laudesque divinas, festis profestisque diebus persolvendas, complectitur; alterum pertinet ad annuos Paschæ festorumque ex eo pendentium recursus Solis et Lunæ motu metiendos.

Atque illud quidem fel. record. Pius V. prædecessor noster absolvendum curavit atque edidit.

Hoc vero, quod nimirum exigit legitimam Calendarii reformationem, jamdiu a Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris et sæpius tentatum est, verum absolvi et ad exitum perduci ad hoc usque tempus non potuit, quod rationes emendandi Calendarii, quæ a cœlestium motuum peritis proponebantur, propter magnas et fere inextricabiles difficultates, quas hujusmodi emendatio semper habuit, neque perennes erant, neque antiquos Ecclesiasticos ritus incolumes (quod in primis hac in re curandum erat) servabant.

Narrat deinde Pontifex, quomodo ipse in hac cogitatione curaque versatus peritissimos viros emendationi Kalendarii præposuerit, eorum industria adhibita confusionem omnem sustulerit, menses diesque præcurrentes retraxerit ac labantem festorum normam juxta œcumenicæ synodi Nicænæ normam restituerit certis datis regulis in æternum duraturis.

Hinc Kalendarium, quod antea a Julio Cæsare *Julianum* dicebatur, passim nunc appellatur *Gregorianum*, quod correctione Gregoriana errores Juliani Kalendarii emendati fuerint.

61. Et primum quidem errorem de *anticipatione æquinoctii verni* ita correxit Gregorius: dicto anno correctionis 1582. decem dies detraxit statuitque, ut post quartum diem Octobris mox sequens dies non esset quintus, sed pro decimo quinto eo anno haberetur sicque æquinoctium suæ pristinæ sedi (21. martii) restituit (1). Dicti dies autem de mense Octobri detracti sunt, quia in ipsis pauci dies festi occurrunt. Hac ratione igitur tempestates omnes et solemnitates ad destinatas sedes in Kalendario Gregoriano revocatæ sunt.

In Galliis vero mense Novembri anni novi emendatio promulgata est, exemptisque decem diebus sancitum, ut, qui decimus dies decembris erat, vicesimus numeraretur et ita decimo quinto decembris *Natalis Domini* eo anno celebratus est.

Ad præcavendam autem eamdem προήγησιν æquinoctiorum statutum est, ut quadringentis quibusque annis omitterentur dies tres intercalares, ita ut, quum annus 1600. fuerit bissextilis, tres centenarii autem qui sequuntur (1700., 1800., 1900); qui secundum leges Kalendarii Juliani bissextiles esse deberent, pro communibus habendi sint, nec intercalari die augendi (2). Unde versus in hanc sententiam conscripti:

Bissextilis adest annus quicunque quaternus,
Centenus tollet, quadringentesimus addet.

Ipsam formam insertionis diei intercalaris quod attinet, nihil emendandum censuit Gregorius XIII. Quod Julius Cæsar igitur statuerat quodque Ecclesia ad novam emendationem usque servaverat, ut nempe intercalatio 24. mensis Februarii ita fieret, ut dies addititius cum 24. confunderetur

(1) Bulla *Inter gravissimas*. §. 7.
(2) *L. c.* §. 9.

ac pro uno eodemque die haberetur (1), id hodieque ex constitutione citata servandum est.

Ex declarata 48 horarum in unum diem civilem bissextum conjunctione confusioneque Jurisconsulti plura conficiunt, ex quibus nonnulla nos esse hic memoraturos polliciti sumus n. 18.

Fieri itaque I. ex systemate Kalendarii Romani potest, ut duo ætate differant, et tamen eodem momento majorennes fiant. Titius v. g. natus sit 24. Februarii mane, Caius vero 25. Feb. vespere anni bissextilis : uterque inchoante 24. Februarii anni 25. majorennis erit, licet ætate vix non duobus integris diebus naturalibus differant. *Nihil* quippe *interest* —verba sunt *leg.* 98. *ff. de V. S.* cit.—*sive priore sive posteriore die natus est.*

II. Quamvis *id biduum pro uno die* civili *habeatur*, in favorabilibus tamen *aliqua ratione* computatio fit temporis intercalaris (2). *Exemplum.* Titius nascitur 25. Februarii anni communis 1855 : quæritur, quando fiat majorennis ?

R. Quum 25. annus ætatis incidat in an. bissextilem 1880. in quo dies 24. et 25. naturales unum diem civilem efficiunt, majorennis erit 24. Februarii inchoante in favorabilibus, in odiosis vero 25. Feb. finiente.

(1) De die intercalari in anno bissextili dignum est quod legatur cap. *Quæsivit.* 14. *de Verb. Signif.* (*V*, 40.), cujus summa hæc est : Quum festum S. Mathiæ debeat celebrari 24. Feb. quæsivit Carnotensis Episcopus ab Alexandro PP. III., quum anno bissexto *eo die intercalatio fiat, quo die esset jejunandum ?* Respondit Pontifex, die 23. jejunandum esse, non 24. sive VI. Kal. Mart., quia ille dies festivus est nec propter bissextum mutatur, *duo* enim *quasi pro uno reputantur.* De ipso etiam festo celebrando Alexandrum consuluit Episcopus, *quonam videlicet die celebrandum esset* (*part. decis.*), sexto ? an bissexto ? an utroque, quia hi duo pro uno computantur et in utroque sistitur in una eademque litera Kalendarii ? Respondit Papa, sublato omni computationis errore, posse celebrari alterutro ex his duobus diebus juxta piam Ecclesiæ consuetudinem.

(2) Jurisconsulti ei favorem a jure indultum censent, cui vel jus commune, vel beneficium legis particularis adsistit.

Dixi autem *aliqua ratione temporis bissextilis ratio habetur;* quando nimirum sermo est de uno dumtaxat anno seu die bissextili. Si enim agatur de multis annis explicite vel implicite continuis, v. g. de spatio 16, 20, 30, 40, etc., annorum in se multos annos bissextiles comprehendentium, interjecti dies intercalares non computantur seu pro *momento temporis observantur. Leg.* 98. *ff. V. S.* Ita contra *Franc. Pellizarium in Manuali regularium tract.* 8. *c.* 2. *n.* 170. *P. Georg. Gobat op. mor. tract.* 8. *nn.* 546. *seqq.*, ubi nostram hanc thesim pluribus argumentis vide confirmatam ac contrarias Pellizarii rationes disjectas.

Hujus regulæ quotidianus usus est in computandis annis requisitis ad professionem religiosam, ad usucapionem, ad ordines sacros, ad episcopatum, ad Jubilæum, h. e. quinquagesimum annum sacerdotii, monachatus, matrimonii cum eadem uxore, servitii cum eodem hero. Certe nemo ex jubilariis in computando anno suo quinquagesimo cogitavit unquam de numerandis duodecim diebus intercalaribus, qui in lapsu quinquaginta annorum intercurrerunt.

III. Ad Kalendaria civilia quod attinet, notandum hoc est : Quum ejusmodi Kalendaria, quæ nunc recepta communiter sunt in societate civili, rejecto more Romano numerum 28. dierum non retineant, sed post 28. dies naturales ulterius numerando adjiciant vicesimum nonum, affirmari non sine veri specie potest, in nostris Kalendariis civilibus diem intercalarem *juridicum* h. e. diem, cui favor juris applicetur, ut supra, non esse 24. Februarii, sed vero 29., licet Kalendaria ipsa adhuc 24 Feb. intercalarem dicant. Etenim ex mente legislatoris dies intercalaris is est, quo differentia inter annum communem et bissextum exhibetur ac supplementi instar mensi Februario inseritur. Atqui in Kalendariis nostris civilibus differentia illa non in alium, quam in ultimum mensis diem rejicitur ; ergo quæ quoad usum juridicum de die 24. et 25. nat. in Kalendario Romano dicta sunt,

ea applicari 28. et 29. feb. in nostris Kalendariis civilibus debent. *Ponatur exemplum*. In excusatione a muneribus etiam ætas de jure civili inspicitur. Quum ergo ætati favor hic sit indultus *leg. manifesti juris ult. Cod. Qui ætate (vel professione) se excusant* (x. 49), diei intercalaris ultimi computationem fieri debere manifestum est. Licet igitur natus sit 29. Februarii anni 1812, nihilominus 28. Feb. an 1882. pro septuagenario habebitur. Hæc de forma insertionis diei intercalaris.

62. Alterum Juliani Kalendarii vitium de *antecessione Noviluniorum* et *Pleniluniorum* Gregorius XIII. castigavit sanciendo, *ut amoto numero aureo de Kalendario in ejus locum substitueretur cyclus Epactarum* (1) *ab Aloysio Lilio conscriptus, qui ad certum aurei numeri formam directus efficit, ut Novilunia vera loca semper retineant* (2). Sed de Epactis postea *cap. v. nn. 74, seqq.;* error præteriti temporis autem emendatus est diebus 3 de anno lunari rejectis.

Quoniam nimirum numeri aurei in Kalendario Gregoriano novilunia aliquot diebus serius indicabant, quam evenirent, gravis sub Gregorio PP. XIII. exorta est controversia, quot dies (num tres, an quatuor ?) pro illa vice resecandi ex anno lunari essent? *P. Christoph. Clavius*, qui omnibus congregationibus de Kalendarii reformatione habitis interfuerat, existimabat, nonnisi tres dies resecandos esse, ejusque sententia prævaluit. Controversia deinde sub Clemente PP. XI. denuo invalescente totoque negotio ad novum examen revocato (3), decretum iterum fuit, nihil esse immutandum.

(1) Licet veteres quidam chronologi antiquas Epactas *Julianas* dixerint easque cum respectivis numeris aureis per omnes anni menses suis diebus in Kalendario tribuerint, ab ipso Kalendario Julii Cæsaris tamen aberant, de qua re vide *Clav. Lib. II. cap. Novi Kalendarii Apologia.*

(2) *Bulla cit.* §. 10.

(3) Congregationi super hæc negotia constitutæ præficiebatur Cardinalis *Norisius*; secretarium agebat *Bianchini*. Communicabantur consilia cum *Cassini*, celeberrimo Astronomo in Galliis, et cum *Maraldi*, qui

P. Clavium ea ratione niti vidimus n. 52. I. *not.*, quod opus non esset, ut medii motus per cyclos indicati originem computi sui ab aliquo puncto astronomico ducerent; immo quod nec expediret, ne scilicet ad diversitatem meridianorum esset attendendum et ex hac ipsa meridianorum discrepantia aliquando evenisset, ut luna æquinoctialis in certis mundi partibus incideret in sabbatum, in aliis in dominicum diem, et, quod consequens est, Pascha in nonnullis locis integra hebdomada, quin et integra lunatione discreparet. Unde melius visum fuit, ut medii motus cyclorum cum veris motibus astrorum non adamussim responderent, sed eos potius nonnihil subsequerentur; et si quando plus minus recederent — quod in Kalendario perpetuo evitari nequit —tamen perpetuo illuc revocarentur. Patris Clavii consilium probatum postea vel ab ipsa Academia Regia Parisiensi fuit. Quum enim *Filiol* anno 1731. exhibuisset librum inscriptum: *Nouvelle distribution politique du temps*, ubi dies Paschatis per calculum ex tabulis astronomicis deductum determinabatur, laudavit quidem Academia diligentiam et eruditionem auctoris, censuit tamen, subtilitates astronomicas in hoc negotio esse nec necessarias nec possibiles, quum astronomi nondum exacte convenerint circa veros motus astrorum. Cfr. *Histoire de l'Académie Royale* ad an. 1731.

63. Kalendarium sic ordinatum magna gratulatione a plerisque omnibus Europæ regibus et principibus receptum

tunc Romæ versabatur. *Cassini* censebat, Kalendarium Gregorianum nulla indigere reformatione, sed solummodo mentem Gregorii exacte esse implendam et XIV. lunam Paschalem suo in loco, a quo 4 et eo amplius dies eo tempore distabat, reponendam: per emendationem autem sub Gregorio XIII. factam tantum per 3 dies lunam Paschalem retrocessisse ad tempus, quo fuerat ætate concilii Nicæni. Cf. ejusdem auctoris commentarii: *De la Correction Grégorienne des mois lunaires ecclésiastiques* (*Diar. Academ. Reg. Paris.* ad an 1701.) et: *Des Équations des mois lunaires et des années solaires* (*Diar. cit.* ad an. 1704.) Ast Congregatio omnibus astronomorum rationibus exacte perpensis iisque inter se rite comparatis statuit, formam Kalendarii Gregoriani non esse mutandam.

ac in usum deductum fuit, exceptis nonnullis hæreticis ac schismaticis, qui magis odio Pontificis et religionis, cujus ipse caput est, quam quod factum culparent, emendationem illam non receperunt. Hinc autem diversus temporis computus diversaque Paschatis aliorumque festorum celebratio orta ; hinc etiam in actis ab anno 1582. (post 15. Octob.) usque ad 1. Martii an. 1700. duo styli, *novus* et *vetus*, observati : ita dum Catholici v. g. numerarent 30. Augusti an. 1600, Protestantes signabant 20. *Aug. styli veteris*, quæ varietas sic exprimi solebat $\frac{30}{20}$ Augusti vel 20. *Aug. styli veteris*, vel per literas initiales tantum 20. *Aug. st. v.*, vel simpliciter 20. *Aug. s. v.*

Negotio de tollenda Kalendarii varietate pluries jam in comitiis proposito, tandem an. 1699. status protestantici per conclusum d. 23. Septemb. (1) Catholicis ita accesserunt, ut omissis 11. diebus idem dierum numerus in utroque Kalendario Gregoriano (Catholicorum) et Juliano (Protestantium) anno 1700. concurreret, sola respectu Paschatis remanente differentia; Protestantibus enim adhuc fixum manserat, rejectis Epactorum cyclis plenilunium paschale ad astronomicas observationes determinandum esse (2).

Kalendario Gregoriano ita ex parte a Protestantibus recepto, iidem 30. Januarii 1723. statuerunt, ut si ipsorum ac Judæorum Pascha in unum diem incideret, Pascha cum Catholicis celebrarent, ne scilicet decretis concilii Nicæni adversarentur. Quod conclusum an. 1744. quo termini paschalis differentia iterum occurrit, repetierunt.

Quæ omnia quum interim tantum ac pro occurrentibus casibus fuissent constituta, tandem anno 1775. Rex Borus-

(1) Conclusum exhibet *Schmausius Corp. Juris Publici acad, ed.* 1745. *n*. 110.

(2) Quum observationes astronomicæ in diversis regionibus ob diversos circulos meridianos non sint conformes, juxta Conclusum $\frac{10}{20}$ Jan. 1700. Specula Mathematica *Uranoburgica* aliis provinciis legem præscribere debebat. *Schauroth, tom. I. p.* 194.

siæ voluit, ut in suo regno ac ditionibus Protestantes anno 1778. non 12. Aprilis (cum Judæis), sed vero 19. Aprilis (cum Catholicis) Pascha haberent ; aliis principibus similiter auctor fuit, ut idem in suis territoriis fieri juberent. Quare Protestantes consilio ea de re inter se habito, demum anno 1776. concluserunt, se Pascha juxta Kalendarium Gregorianum cum Catholicis semper esse celebraturos, sicque concordia circa Kalendarium etiam in Germania fuit restituta.

Schismaticos Græcos quod attinet, iidem promoveri hucusque non potuerunt ad recipiendam correctionem Gregorianam, ne scilicet revereri Pontificis auctoritatem viderentur (1). Quæ jam sit sæculo nostro utriusque Kalendarii differentia, omnibus totius anni diebus descriptis atque inter se collatis sub finem commentarii docebimus.

De Kalend. Ecc. cfr. quæ habet *Xav. Zech: De Calendario Ecclesiastico* post *Christoph. Clavium : Romani Calendarii explicat.*, *Paul. Gulden.* adversus *Sethum Calvisium*, *Dionys. Petav.* : *de Doctrina Temporum lib* v.; *Sacrabosco* : *de Computo Ecclesiastico*, *Edmund. Purchot. Institut. Philosoph. tom.* III. *sect.* II. *c.* 9., *Mangold. Philosoph. tom.* III. *Dissertat* v. *sect.* 4., *Jos. Falck : Christianum Pascha*, *Franc. Schuch : Disquisitio Astronomica de Correctione Calendarii. Ingolstad. an.* 1699.

Rationibus Kalendarii Gregoriani ita declaratis id unum restat, ut celebrem illam disputationem breviter attingamus, qua computistæ catholici restitutam temporum rationem mi-

(1) Rossiaci per eam, quæ Schismaticorum propria est, crudelitatem, Catholicos Imperii Rossiaci adegerunt, ut relicta correctione Gregoriana vitiosum Kalendarium Julianum denuo sequerentur. Itaque per vim partim obtrusus iterum partim repetitis legibus præscriptus vetus stylus est archidiœcesi *Mohiloviensi* cæterisque sex diœcesibus suffraganeis *Vilnensi*, *Samogitiensi* seu *Felsensi*, *Luceorio-Zytomiriensi*, *Camenecensi*, *Minscensi* et *Tiraspoliensi*. Tantum schismaticos eorum cepit odium, quæ profecta a Sede Apostolica sunt!

raculorum calculo a Deo O. M. confirmatam asserunt, oblaterantibus licet hæreticis calumniamque *inauditæ superstitionis* inferentibus. Catholicorum argumentum situm in eo est, quod Deus miracula, quæ perpetuo adhuc in Ecclesia vigent, transtulit in dies anni Gregoriani saltu dierum 12 facto sicque Kalendarii castigationem suffragio suo obsignavit; sectariorum injuria contra in eo consistit, quod ecclesiasticos scriptores dicunt et superstitionibus occupatos et simpliciorum mentes per insolentissima, ab ipsis conficta, portenta superstitione imbuere obligareque conatos. Injuriam adversariorum primum refellemus, argumentum catholicorum deinde adducto insigniori aliquo exemplo clarius expositori.

Itaque *prætensam miraculorum novitatem* quod spectat, tantum abest, ut in tenenda hac probandi methodo inauditis superstitionibus obnoxii scripserint computistæ ecclesiastici, ut potius luculentam probabilemque Patrum viam secuti argumenta sua ad certissimæ traditionis ecclesiasticæ normam expressisse dicendi sunt. Ecclesiastici scriptores enim inde ab initio exortarum de computo controversiarum sibi persuasum habebant, leges chronographicas ab Ecclesia catholica de Paschatis atque inde cæterorum festorum mobilium supputatione latas, ita in Dei Omnipotentis tutelam esse collatas, ut eas perfectissima miraculorum sanctione evidenter confirmasse censendus sit. Christianæ traditionis methodum ex iis auctoribus colligere imprimis placet, qui *fontes baptismales in Paschate aqua divinitus impletos* testantur.

Quum anno Ch. 417. errore supputationis factum esset, ut Pascha non suo legitimo die celebraretur in Ecclesia, divino sane miraculo compertum esse errorem, *Paschasinus Episcopus Lilybetanus* narrat in epistola an. 444. ad S. Leonem Papam data, quæ in editione *Migne* (*Patrol. tom.* 54. *p.* 606.) est 3. inter epistolas S. Leonis. *Non ergo* — verba sunt Paschasini — *nos dies una longius posita terreat, ne cum hanc*

vitamus, incurramus errorem, sicut evenit tempore... Zosimi. Tunc enim... error gravissimus est ortus in tantum, ut mysterio certo, quod dono Sancti Spiritus ministratur, hæc veritas probaretur... Cujus mysterii miraculum tale est. Quædam vilissima possessio, Meltinas appellatur, in montibus arduis ac silvis densissimis constituta, illicque perparva atque vili opere constructa est ecclesia. In cujus baptisterio nocte sacrosancta paschali, baptizandi hora, cum nullus canalis, nulla sit fistula, nec aqua omnino vicina, fons ex se repletur paucisque qui fuerint, consecratis, cum deductorium nullum habeat, ut aqua venerat ex sese discedit. Tunc ergo, sicut supra diximus, cum apud Occidentales error ortus fuisset, consuetis lectionibus nocte sancta decursis, cum presbyter secundum morem baptizandi horam requireret, usque ad lucem aqua non veniente, non consecrati qui baptizandi fuerant, recesserunt... Evidenti ergo miraculo claruit Occidentalium partium fuisse errorem.

Huic plane simile descriptum exstat apud *Magn. Aurel. Cassiodorum* miraculum. Dum *Marciliani fontis* virtutes collaudat, divinum signum hisce exequitur verbis *Variar. lib.* VIII. *epistola* 33 : *Longa sunt illius fontis memoranda describere. Veniamus ad illud singulare munus sanctumque miraculum. Nam cum die sacratæ noctis precem baptismatis cœperit sacerdos effundere et de ore sancto sermonum fontes emanare, mox in altum unda prosiliens aquas suas non per meatus solitos dirigit, sed in altitudinem cumulumque transmittit. Erigitur brutum elementum sponte sua et quadam devotione solemni præparat se miraculis, ut sanctificatio Majestatis possit ostendi. Nam quum fons ipse quinque gradus tegat eosque tantum sub tranquillitate possideat, aliis duobus cernitur crescere quos nunquam præter illud tempus cognoscitur occupare. Magnum stupendumque miraculum fluenta labentia sic ad humanos sermones vel stare, vel crescere, ut eis credas audiendi studium minime defuisse.* (*Migne, Patrol. tom.* 69. *pag.* 765.)

Similia narrat de fontibus miraculose repleri solitis tem-

pore paschali *S. Gregorius Turonensis Histor. Franc.* tum *lib.* VI. *c.* 43. (*Migne, Patrol tom.* 71. *pag.* 409.), tum *lib.* X. *c.* 23. (*l. c. p.* 554.); item *De Gloria Confessorum c.* 69. (*l. c. p.* 878.) ac denique *Miraculorum lib.* I. *De Gloria martyrum*, *c.* 24. addens *cap. sequenti*, Theodegisilum regem, fraudem subesse ratum, diligenter custodes adhibuisse, nihilominus fontem baptismalem semper impletum sicque miraculi veritatem vel ex ipsius regis pervestigatione confirmatam fuisse (*Migne, l. c. p.* 726.). Adde, quæ de fontibus Hispaniæ, *qui in sabbato sancto Paschœ ad baptizandum divinitus sponte repleri solent*, *anno* 573. *non in Hispanorum*, *sed in Francorum Pascha* (1) *repletis* refert *Sigebertus Gemblacensis in Chronic. ad an.* 573. (*Migne, Patrol. tom.* 160. *page* 107.)

Sed nec caruerunt cæteræ orbis partes hisce adeo insignibus editis divina virtute miraculis. Sic illustre portentum de fonte *S. Marcellini* apud civitatem *Ebredunensem* in Galliis memorat *S. Ado Viennensis* in *Martyrologio* ad diem 20. April. (*Migne, Patrol. tom.* 123. *pag.* 249.) aliaque duo in Oriente, in provincia Lyciæ, singulis annis baptismi occasione fieri solita affert auctor *Prati spiritualis*, cc. 204. et 205. additque: *Si quis autem hœc ita esse non credit, usque ad Lyciam, non grande iter est, pergat, et rei veritas fidem illi faciet.* (*Migne, tom.* 74. *p.* 237.)

Aliud miraculi genus, nempe cœlestem cæci illuminationem, coram doctoribus et episcopis Britonum precibus S. Augustini factum ad rectam Paschatis celebrationem comprobandam habes apud *Ven. Bedam : Histor. Ecc. gentis Anglorum lib.* II. *c.* 2. (*Migne Patrol. tom.* 95. *pag.* 82.)

Quod ergo calumniandæ Kalendarii instaurationi non raro prætenderunt hæretici, catholicos, dum ostenta ac prodigia

(1) Ex his merito cum *Baron.* ad *an. cit.* inferes, omnem de fraude suspicionem abolitam esse; si enim humana arte ea in baptisteriis contigissent, utique eadem ad Hispanorum sententiam comprobandam accomodata fuissent.

a Deo facta agnoscunt ad rectam Ecclesiæ temporum supputationem confirmandam, ***novis insolentibusque superstitionibus*** obnoxios degere, tribuendum id esse improbæ sectariorum cupiditati injuriæ faciendæ manifestum est.

Ad cœlestia signa Gregorianum temporum ordinem obsignantia quod pertinet, scriptores ecclesiastici novæ correctionis divinitus confirmatæ præ cæteris testem adhibent nobilem illum cruorem, qui Neapoli quotannis coram venerando S. Januarii capite liquescens ebullit die 19. mensis Septembris, sed illo qui in Kalendario Gregoriano est 19. anticipato nimirum per 10. seu potius per 12. dies miraculo : perinde ac si sanguis in Romanæ fidei testimonium semel profusus, iterum ac sæpius — ut ait *Ricciol. Almag. nov. præf. art.* I. — pro Romani Pontificis auctoritate fundatur.

DE QUATUOR TEMPORIBUS ET TEMPORE FERIATO.

CAPUT III.

QUATUOR TEMPORA.

§ I.

TEXTUS PROŒMII. Quatuor Tempora celebrantur quarta et sexta feria ac sabbato post tertiam dominicam Adventus, post primam dominicam Quadragesimæ, post dominicam Pentecostes, post festum Exaltationis sanctæ Crucis.

COMMENTARIUS.

64. *Tempora anni quatuor sunt,* inquit *S. Isidor. Etymol. l.* v. *c.* 35 : *Ver*, *æstas*, *autumnus* et *hiems.* Hæc et *curricula* dicuntur, quia non stant sed *currunt.* (*Migne, t.* 82, *p.* 220.)

Totus olim annus in *æstatem* tantum et *hiemem* dividebatur, quod innuit etiam *Ulpianus l. Prætor.* 1. *ff. de Itinere actuque privato* (*XLIII*, 19.). Postea vero anno in quatuor partes diviso, ita distinctæ singulæ sunt, ut sole ingrediente

Arietem incipiat *ver;* in Cancro vero *æstas*, in Libra *autumnus*, in Capricorno *hiems* principium sumat juxta versus:

> *Sunt Aries, Taurus, Gemini tibi sidera Veris;*
> *Æstatem Cancer, Leo trux cum Virgine complent,*
> *Scorpius Autumnum, duplici cum Lance Sagitta,*
> *Hinc Hiemem Pisces, Capricornus, Aquarius addunt.*

Ecclesiastici scriptores principia quatuor temporum anni his versibus declarant:

> *Festum Clementis Hiemis caput est orientis,*
> *Cedit Hiems retro cathedrato Simone Petro;*
> *Ver fugat Urbanus, tum Æstatem Symphorianus;*
> *Id tibi quod restans Autumni tempora præstat.*

65. Quatuor anni tempora secundum *S. Isidor.* (*l. c.*) et *Ven. Bedam* (*de Temporum ratione cap.* 35. *Patrol. Migne*, *tom.* 90. *pag.* 457.), dicta sunt a communionis *temperamento*, quod invicem se humore, siccitate, calore et frigore temperent. Causa efficiens illius temperamenti est motus solis et aliorum corporum cœlestium ac stellarum etiam erraticarum, juxta illud *Gen.* 1: *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento cœli, et dividant diem ac noctem et sint in signa et tempora et dies et annos*, h. e. signa temporum, dierum, annorum.

Singula anni tempora in tres partes dividuntur; *vernum v. g.* in ver *novum* sive *primum*, *adultum* et *præceps*. Nam quum vernum tempus sit trimestre, primus mensis primo sive novo veri assignatur, secundus adulto tribuitur, tertius præcipiti sive cadenti. Sic et æstas in suis tribus mensibus *nova*, *adulta* et *præceps*; item autumnus *novus*, *adultus* et *præceps*, et similiter hiems *nova, adulta* et *præceps* sive *extrema* dicitur. Ita docet *Servius* ad illud *Virgilii Georg. I*: *Vere novo gelidus canis cum montibus humor Liquitur*, et *Georg.* II: *Non alios prima.*

66. *Ver* dictum putat *Varro* (*Ling. lat.* v, 2.) a *vireo*, quod post hiemem virere incipiunt virgulta atque in florem cuncta

erumpunt; aliam etymologiam tamen ex græco innuit addendo: *Nisi quod Iones dicunt* βῆρ.

Æstatem Servius Æn. II. ad vers. *Propiusque æstus incend. volv.*, et *Varro* l. c. dictam volunt ab *æstu*, id est calore, quod æstas quasi *usta* h. e. exusta, calida, arida sit.

Pro *autumno* quidam *auctumnum* substituunt cum Festo docentes, vocem derivandam esse a supino *auctum* verbi *augeo*, quod eo tempore maxime augeantur hominum opes coactis agrorum fructibus. Autumno enim vindemiæ et majoris partis frugum collectio fit. Atque hac ratione intelligenda sunt quæ habet *S. Isidorus l. c.* : *Autumnus*, ait, *a tempestate*, h. e. tempestivitate *vocatur, quando omnia maturescunt.*

Hiems, olim et *hiemps*, varie deducitur. *Varro* (*Ling. lat.* l. c.) hiemem ab *imbre* dictum existimat, *quod tum multi imbres*. Alii ab *hio*: alii a χειμάς, alii ab ὕω, pluo, unde et per y scribunt. Hiems autem anni tempus humidum frigidumque dicitur.

De quatuor anni temporibus dignus est qui legatur D. *Ambrosius lib. de Noe et Arca, c.* 23. *Tempora sunt*, inquit S. Doctor, *quæ aut corrumpunt aut reservant, prout ipsa sui habuerint qualitatem. Ideoque annus ex contrariis ducitur: vere, autumno, æstate, hieme, sicut harmonia cantilenæ permixtis gravibus et acutis videtur consistere.* (*Migne, tom.* 14, *p.* 400.)

Ex diversis igitur temporibus rerum omnium generatio, ortus, frugum maturitas et humani corporis firmitas provenit, de qua re *Boet.* (*lib* IV. *de Consolat. Philos. metro* 6.; *Migne Patr. tom.* 63, *p.* 822) :

Iisdem causis vere tepenti
Spirat florifer annus odores :
Æstas Cererem fervida siccat :
Remeat pomis gravis Autumnus :
Hyemem defluus irrigat imber.
Hæc temperies alit, ac profert
Quidquid vitam spirat in orbe,
Eadem rapiens condit et aufert
Obitu mergens orta supremo.

Conferantur *Ven. Beda de Ratione Computi cap.* 9. (*Edit. Migne, op tom.* 1. *pag.* 588.), et *Raban. Maurus lib. de Computo cap.* 34. *op. tom.* 1. *pag.* 687. (*Edit. Migne cit.*)

JEJUNIUM QUATUOR TEMPORUM.

67. Jejunium quatuor temporum respondet quatuor anni partibus, quibus insignes mutationes fieri consueverunt. Olim tribus tantum jejunabatur, ut patet ex *can. Jejunium* 1. *Dist.* 76. Prioribus Ecclesiæ sæculis tamen additum fuisse quartum jejunium docent præter *can. Jejunium. cit.* tum plures alii canones ejusdem distinctionis 76., tum interpretes juris canonici in tit. 46. *libri* III. *Decret. de Observatione jejuniorum.*

Ecclesia autem jejunium quatuor temporum triplici de causa maxime celebrat; 1° quia etiam Hebræi quatuor in anno jejunia habebant, quamvis non eisdem omnino temporibus, ut testatur S. Hieronymus *can. Jejunium* 7. *cit. dist.*; 2° ut in quatuor temporum partibus jejunia trina pro mensium numero Deo offerentes omnes totius anni actiones et eventus nostros a Deo pendere profiteamur, sicut indicat S. Leo *canone Hujus* 6. *cit. dist.* ; 3° ut, quia illis temporibus ordinantur clerici, Deus illis majores conferat gratias, quibus obtentis melius Ecclesiæ valeant inservire : cujus jejunii exemplum sumptum est ab Apostolis *Act.* 13, 3. Hæc *Schmalzgrueber* in *tit.* 46, X., *n.* 32. Præter adductas rationes plures aliæ afferuntur a *Beletho, Rat. cap.* 134.; apud *Migne, Pat. tom.* 202. *p.* 138.

68. Tempus jejunii quatuor temporum his versibus demonstrant :

Vult Crux, Lucia, cineres, charismata data
Ut det vota pia quarta sequens feria.

h. e. : celebrandum jejunium quatuor temporum feria

VI. post festum *Exaltationis Sanctæ Crucis* (1), feria IV. post fest. *S. Luciæ*, fer IV. *primæ hebdomadis Quadragesimæ* et fer. IV. *post Pentecosten.*

Fiunt autem hæc jejunia in feria quarta, *quia hac feria Judas de traditione Domini cogitavit*, ut habet *can. Jejunia* 16. *dist.* 3. *de Consecrat.*, et sexta feria, *quia in ea crucifixus est Salvator* (*can. Jejunia. cit.*); et sabbato, *quia constat*, verba sunt Innocentii PP. I. *ep.* 1. *ad Decentium. c.* 4. relat. in *canone Sabbatho* 13. *dist.* 3. *cit.*, *Apostolos biduo isto* (*fer.* VI. *et Sabbato*) *in mœrore fuisse et propter metum Judæorum se occuluisse.*

DE TEMPORE FERIATO.

NUPTIÆ QUANDO CELEBRARI NONPOSSINT JUXTA DECRETUM CONCILII TRIDENTINI.

§ II.

TEXTUS PROŒMII. A dominica prima Adventus usque in diem Epiphaniæ, et a feria quarta Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive sancta Synodus solemnitates nuptiarum prohibet; in aliis vero temporibus nuptias solemniter celebrari permittit.

COMMENTARIUS.

69. Jam a primis Ecclesiæ sæculis nuptiarum solemnitates certis anni temporibus interdictas fuisse *canonica statuta* declarant. Ex concilio videlicet *Ilerdensi*, relato a Gratiano in *can. Non oportet* 10. *c.* 33. *q.* 4., atque ex *cap. Capellanus* 4. *de Feriis*, edocemur, interdictas solemnes nuptias fuisse 1° toto illo tempore, quod intercedit inter primam domini-

(1) Si igitur festum Exaltationis sanctæ Crucis incidat in feriam IV. (quod iis annis contingere videmus, qui literam *b* habent dominicalem), ipsa hæc feria poni non potest pro feria IV. quatuor temporum, quia prooemium quatuor tempora celebrari jubet feria IV. *post* festum S. Crucis.

cam Adventus et Epiphaniam; 2° a dominica Septuagesimæ usque ad Octavam Paschæ; 3° a feria II. Rogationum usque ad Octavam Pentecostes; 4° præterea duabus vel tribus hebdomadis ante festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, de quo postremo tempore feriato *Clemens PP.* III. dubium solvit in *cit. cap. Capellanus, de Feriis.* (II. 9.)

Jure Tridentino tempus feriatum angustioribus terminis conclusum est; eo enim nuptiarum solemnitates solum prohibentur ab Adventu usque ad Epiphaniam et a die Cinerum usque ad Octavam Paschæ inclusive. Permittuntur ergo temporibus Rogationum, Ascensionis et Pentecostes et etiam Septuagesimæ, immo et benedictiones nuptiales dari posse sabbato ante dominicam Adventus docent *Sanchez* (*de Matrim.* lib. VII. disput. 7.), et *Diana* (*p.* 3. *tract.* 4. *resol.* 202.).

70. Interdictum hoc ecclesiasticum, quo solemnes nuptiæ tempore feriato prohibentur, gravi nititur ratione.

Iis diebus enim, quibus fideles jejunio, divinis officiis, vigiliis, stationibus atque Eucharistiæ communioni vacare debent, commessationibus et aliis lætitiæ signis in nuptiis intervenientibus operam dare non licet. Optimo consilio igitur prohibita hisce temporibus est nuptiarum solemnitas, quæ nunquam non magnæ distractionis res esse cognoscitur.

Solutionem aliarum quæstionum, quæ ad tempus feriatum referuntur, petes ex interpretibus juris canonici tum in *c. Capellanus* 4. *de feriis cit.*, tum in titulum 16. *lib* III. *Decret. de Matrimonio contracto contra Interdictum Ecclesiæ*, tum denique in *Conc. Tridentin. sess.* 24. *de Ref. matr. c.* 10. De ultimo hoc capite legendi imprimis sunt congesti a *Barbosa* in illud *C.*, *Covar. de Matrimonio* II. *p. c.* 8; *Sanchez*, *de Matrimonio lib.* VII. *l. c.*

DE CYCLO DECENNOVENNALI AUREI NUMERI.

CAPUT IV.

TEXTUS PROŒMII. Cyclus decennovennalis Aurei Numeri est revolutio numeri 19 annorum ab 2. usque ad 19 : qua revolutione peracta, iterum ad unitatem reditur. Verbi gratia: Anno 1577. numerus cycli decennovennalis, qui dicitur Aureus, est 1; anno sequenti 1578. est 2, et ita deinceps in sequentibus annis, uno semper amplius usque ad 19 qui Aureus numerus cadet in annum 1595., post quem iterum ad unitatem redeundum est, ita ut anno 1596. Aureus numerus sit rursus 1, et anno 1597. sit 2. etc.

Igitur ut Aureus numerus quolibet anno proposito inveniatur, composita est sequens Tabella Aureorum numerorum, cujus usus incipit ab anno correctionis 1582. inclusive, duratque in perpetuum. Ex ea enim Aureus numerus cujuslibet anni post annum 1582. reperietur hoc modo :

6.	7.	8.	9.	10.	11.	12.	13.	14.
15.	16.	17.	18.	19.	1.	2.	3.	4.	5.

Anno 1582. tribuatur primus numerus tabellæ, qui est 6; secundus autem, qui est 7, sequenti anno 1583., et ita deinceps in infinitum, donec ad annum, cujus Aureum numerum quæris, perveniatur, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam numerus, in quem annus propositus cadit, dabit Aureum numerum quæsitum.

COMMENTARIUS.

CYCLUS LUNARIS.

71. *Cycli lunaris* appellatione spatium novemdecim annorum venit, quod invenerunt astronomi ad conciliandam solaris lunarisque cursus congruentiam.

Veterum astronomorum nimirum in conciliando solis lunæque cursu perdiu laboravit industria ; unde variæ sta-

tutæ sunt annorum periodi, quibus peractis ad idem caput quam accuratissime redirent. Quum autem post multas ad id excogitatas annorum revolutiones usu ipso vidissent, novemdecim annis vertentibus horum siderum cursum ita congruere, ut fere ad idem loci temporisque punctum, in quod cum Sole convenerat, novemdecim annis elapsis, luna revertatur, *Metone*, illustri Atheniensi astronomo, auctore orbem seu cyclum 19 annorum statuerunt, eumque ἐννεαδεκαετήριδα, *annum magnum Metonis*, postea vero *annum Romanum* dixerunt.

72. Utriusque enneadecaeteridis, solaris et lunaris, congruentia hæc est : annus *Solis* Julianus dies continet 365, horas 6. Unde novemdecim annorum orbis dies colligit 6939, horas 18. *Lunaris* cyclus autem in totum (1) explet dies 6939, horas 16, minut. prim. 32, secund. 27. Desunt igitur lunari cyclo ad Julianum exhauriendum hora 1, min. 27, secund. 32. Sed ambarum enneadecaeteridum discrimen propter exiguitatem, qua dissimulatum ac neglectum, qua deinde penitus ignoratum fuit, teste *Petavio lib.* VII. cap. 4. *de Doctrina Temporum*. Igitur simpliciter statutum, absoluto 19 annorum intervallo, Lunam semper redire ad eumdem anni solaris diem. Paschalis methodi conditores hunc cyclum in Kalendariis suis hac ratione descripserunt. Initio a quocunque anno facto observarunt, quosnam in januarii, fe-

(1) Menses lunares civiles alternis 29 et 30 diebus evoluti civilem lunarem conficiunt annum dierum 354. Ii per 19 ducti dies colligunt 6726. His accedunt bissextiles dies ut minimum 4, interdum vero 5; nam Juliana enneadecaeteris quadriennia quatuor et tres insuper annos continet; quare cyclus lunaris 19 annorum citra embolismos diebus constat 6730, si bissextiles annos Julianos tantummodo 4 comprehendat, aut uno amplius, si 5 bissextiles habeat. Desunt igitur lunari cyclo 19 annorum ad exhauriendum Julianum (compositum, ut diximus, ex diebus 6939 et horis 18) dies saltem 209. Ex his menses fiunt 7, quorum primi sex tricenarii plenique sunt ; unus cavus dierum 29 (supra n. 15.). Anni lunares communes 19 menses habent 228, quibus adjuncti 7 summam 235 mensium seu 6939 dierum componunt. *Petav. de Doctr. temp. lib.* VII. *c.* 4.

bruarii, martii ac cæterorum mensium dies Neomenia quadraret. Quibus diebus contingeret, ad eos unitatem adscripserunt, utputa 23. januarii, 21. februarii, 23. martii, et ita in reliquis. Anno sequente Neomenias animadverterunt in 12. januarii, 10. februarii, 12. martii transitum fecisse ; ad eos dies num. 2. adnotarunt. Idem et annis sequentibus fecerunt (1). Unde totis 19 annis numeri 19 variis per omnes menses diebus adjuncti sunt, quibus evolutis Luna idem ad principium rediit, ac deinceps in eosdem dies Neomeniæ concurrerunt : propterea 19 numeri ex illorum opinione perpetuo et constanter lunares Neomenias indicabant. Hæc *Petav. l. c.* post *Durand. Ration. lib.* VIII. *c.* 11.

73. Hunc numerum 19 ut ingeniose excogitatum in anno Juliano *aureis literis* notarunt, unde *aurei numeri* et *cycli novemdecennalis* et *Paschatis* nomen meruit, quoniam verum Paschatis celebrandi diem indicare videbatur.

Quemadmodum solaris, ita et lunaris cycli principium ex humano arbitrio, non ex sideris naturalis revolutione pendet. Convenit autem inter chronographos, ut primus annus hujus enneadecaeteridis lunaris in anno illo defigeretur, qui proxime christianam æram antecessit. Quare si annis Christi unitatem addideris et summam per 19 diviseris, si quid residuum fuerit, id numerum aureum, h. e. currentem lunæ cyclum dabit; si nihil fuerit residuum, annus cycli lunaris erit 19. juxta distichon :

Unum addes annis Domini summamque novenis
Et denis tribues : Numerus tibi ut aureus adsit.

Quod jam pridem ita docuerat *Durand. lib.* VIII. *cap.* 9 :

Annis adde μονος *Domini partire per unde-*
Viginti : Lunæ cyclus et inde patet.

(1) Numeros aureos per omnes anni menses distributos exhibet tabula quam descriptioni Kalendarii Ecclesiastici subjungimus infra.

Quum numeri aurei incipiant ab unitate, atque ordine naturali progrediantur usque ad 19 ac deinde ad unitatem redeatur, manifestum est, numero aureo unius anni invento inveniri facile posse numerum aureum anni proxime sequentis. Sicut reperitur numerus aureus correspondens æræ vulgaris, ita reperiri quoque potest numerus aureus annorum ante Christum, ascendendo ad annum 439. a. Ch., quo Meton enneadecaeteridem publicavit. Nimirum ab anno proposito demitur 1. Quod reliquum est per 19 dividitur ac residuum — quoto neglecto — numerum aureum indicabit. Itaque invenies numerum aureum dicti anni 439. fuisse 1, h. e. primum annum primi cycli.

DE EPACTIS ET NOVILUNIIS.

CAPUT V.

TEXTUS PROŒMII. Epacta nihil aliud est, quam numerus dierum, quibus annus solaris communis dierum 365 annum communem lunarem dierum 354 superat: ita ut Epacta primi anni sit 11, cum hoc numero annus solaris communis lunarem annum communem excedat, atque adeo sequenti anno Novilunia contingant 11 diebus prius quam anno primo. Ex quo fit, Epactam secundi anni esse 22, cum eo anno rursum annus solaris lunarem annum superet 11 diebus, qui additi ad 11 dies primi anni efficiunt 22, ac proinde, finito hoc anno, Novilunia contingere 22 diebus prius, quam primo anno : Epactam autem tertii anni esse 3, quia si rursus 11 dies ad 22 adjiciantur, efficietur numerus 33, a quo si rejiciantur 30 dies, qui unam lunationem embolismalem constituunt, relinquentur 3 atque ita deinceps. Progrediuntur enim Epactæ omnes per continuum augmentum 11 dierum, abjectis tamen 30 quando rejici possunt. Solum quando perventum erit ad ultimam Epactam Aureo numero 19 respondentem, quæ est 29, adduntur 12 ut abjectis 30, ex composito num. 41, habeatur rursus Epacta 11, ut in principio. Quod ideo fit, ut ultima lunatio embolismica, currente Aureo numero 19 sit tantum 29 dierum. Si enim 30 dies contineret, ut aliæ sex lunationes embolismicæ, non redirent Novilunia post 19 annos solares ad eosdem dies, sed

versus calcem mensium prolaberentur, contingerentque uno die tardius quam ante 19 annos. De qua re plura invenies in libro novæ rationis restituendi Kalendarii Romani. Sunt autem novemdecim Epactæ, quot et Aurei numeri respondebantque ipsis Aureis numeris ante Kalendarii correctionem eo modo, quo in hac tabella dispositæ sunt :

Tabella Epactarum respondentium Aureis numeris ante Kalendarii correctionem.

AUR. NUM.	1.	2.	3.	4.	5.	6.	7.	8.	9.
EPACT.	xj.	xxij.	iij.	xiv.	xxv.	vj.	xvij.	xxviij.	ix.
10.	11.	12.	13.	14.	15.	16.	17.	18.	19.
xx.	j.	xij.	xxiij.	iv.	xv.	xxvj.	vij.	xviij.	xxix.

Quia vero cyclus decennovennalis Aurei numeri imperfectus est, cum Novilunia post 19 annos solares non præcise ad eadem loca redeant, ut dictum est, imperfectus etiam erit hic cyclus 19 Epactarum. Quamobrem ita emendatus est, ut in posterum loco Aurei numeri et dictarum 19 Epactarum, utamur 30 numeris Epactalibus ab 1 usque ad 30 ordine progredientibus, quamvis ultima Epacta, sive quæ ordine est trigesima, notata numero non sit, sed signo hoc *; propterea quod nulla Epacta esse possit 30. Variis autem temporibus ex his 30 Epactis respondent decem et novem Aureis numeris variæ decem et novem Epactæ, prout solaris anni ac lunaris æquatio exposcit : quæ quidem decem et novem Epactæ progrediuntur, ut olim, per eumdem numerum 11, addunturque semper 12 illi Epactæ, quæ respondet Aureo numero 19 ut habeatur sequens Epacta respondens Aureo numero 1, ob rationem paulo ante dictam. Id quod sequens tabella perspicuum faciet, quæ continet Aureos numeros et Epactas inter se respondentes ab anno correct. 1582 ,post detractionem 10 dierum, usque ad annum 1700. exclusive. Quamvis autem vulgares Epactæ mutentur in Martio, reipsa tamen in principio anni mutandæ sunt, una cum Aureo numero, in cujus locum hæ nostræ Epactæ succedunt.

COMMENTARIUS.

EPACTÆ.

74. *Epactæ*, ἐπακταὶ ab ἐπάγειν, *invehendo*, *inducendo*, *adjiciendo*, dictæ sunt apud astronomos et computistas undecim intercalares dies, quibus solaris annus communis dierum 365 superat annum lunarem communem dierum 354.

Epactas Isidorus (*Etymolog. lib.* VI. *c.* 17. *n.* 29.) cum Papia aliisque Latinis definit *adjectiones* annuas lunares, quæ per undenarium numerum usque ad tricenarium in se revolvuntur; quas ideo Ægyptii, ut ipse ait, adjiciunt, ut lunaris emensio rationi Solis æquetur, unde et *adjectiones* vocantur.

75. *Epactarum* nomine igitur excessus anni solaris supra lunarem intelligitur. Undecim esse hos dies supra diximus, ex quibus per plures annos superadditis conficiuntur menses intercalares continentes dies 30, eo modo, quem supra in declaratione anni lunaris descripsimus n. 15. Quum itaque epacta prima sit 11, secunda 22, tertia 3, quarta 14, quinta 25, et sic deinceps per novemdecim annos cycli lunaris, quos numerus Aureus designat, patet, novemdecim epactas in toto cyclo lunari ante Kalendarii correctionem hoc ordine decurrere ac numeris aureis respondere.

Aur. Num.	Epactæ.	Aur. Num.	Epactæ.
1	11	11	1
2	22	12	12
3	3	13	23
4	14	14	4
5	25	15	15
6	6	16	26
7	17	17	7
8	28	18	18
9	9	19	29
10	20		

Quum autem propter cursum lunæ non exacte computatum (n. 72.) novilunia et plenilunia post 19 annorum spatium non accurate redeant ad suam priorem sedem (1), ideo inventus recens est ab *Aloysio Lilio*, Romano medico et astronomo, cyclus triginta epactarum (*Tetracosieterida* vocant), qui in locum aurei numeri Kalendario appositus ad certam Aurei numeri normam directus est, methodo Liliana tamen per P. *Clavium* paulo immutata, quod pluribus continenter capitibus declarat *Petavius de Doctrina Temp. lib.* v., ubi Tetracosieterida Lilianam universamque Kalendarii correctionem per Gregorium PP. XIII. factam a Scaligeri, Calvisii aliorumque hæreticorum calumniis strenue vindicat. Inventi igitur sunt *triginta numeri epactales*, qui retrogrado ordine singulis anni diebus in Kalendario, in latere extrinseco, juxta literas feriales apponi solent. Numerus quidem tricesimus non exprimitur, sed ejus loco asteriscus *, ut consideranti patet.

Quod Epactarum artificium ut rite intelligas, paucis hæc accipe :

Si novilunia post singulos cyclos lunares in idem temporis punctum inciderent, novemdecim Epactæ sufficerent: tot videlicet, quot sunt anni cycli, quæ in Kalendario posita juxta dies in quos incidunt novilunia, constanter per decursum sæculorum eadem novilunia signarent; seu potius Epactis omnino opus non esset, sed numeris aureis immediate indicari possent. Verum ex dictis n. 72. manifestum est, rem non ita se habere, sed vero *novilunia sæculorum serie omnes totius anni dies percurrere.*

Hinc in Kalendario Gregoriano singulis anni diebus suæ adscriptæ sunt Epactæ, *licet non omnes singulis sæculis novilunia signent.* Quænam vero hoc vel altero sæculo Epactarum

(1) Post 19 annos enim novilunia eodem quidem die, sed hor. 1 et min. 28 circiter prius redeunt. Cfr. *n.* 72.

series assumenda sit, indicant literæ *Indices*, quarum usum in Appendice docebimus.

Quoniam novæ epactæ, quæ *ordine retrogrado* juxta singulos anni dies ponuntur, sunt numero 30, menses lunares tamen non semper constant 30 diebus, sed alternis vicibus 30 et 29 (1), oportuit alternis mensibus, nempe februario, aprili, junio etc. *duas epactas* XXV *et* XXIV *in unum diem conjicere*, prout videre est in ipso Kalendario et multis declarat *Petav. lib.* V. *de Doctrina Temp.*

Quando numerus aureus major est quam 11, et anni epacta currit XXV, tunc in Kalendario *numerus arabicus* 25 *novilunia designat.* Hoc vero ideo fit, ne novilunia intra eumdem cyclum 19 annorum ad eumdem diem redeant.

Numerus 19 positus juxta 31. decembris et epactam XX, non inservit nisi pro anno cujus epacta et numerus aureus est XIX. Tunc enim duo novilunia habentur mense decembri, nempe 2 et 31.

Quum primo anno cycli lunaris novilunium in diem 1. januarii incidat ac proinde initio anni solaris nullæ sint epactæ, hic epactarum defectus etiam per signum * sive asteriscum exprimitur, licet alias in præsenti materia pro XXX sumatur.

76. Epactas respondentes numeris aureis ab idibus octobris anni correctionis 1582. usque ad annum 1700. ipsum proœmium Breviarii describit; quænam vero currente hoc sæculo XIX. aureis numeris tribuantur, ex subjecto diagrammate disces.

(1) Cfr. n. 52. III.

NUMERI AUREI ET EPACTÆ SÆCULO XIX.							
Ann. æræ vulgaris.						Num. aur.	Epactæ
1801.	1820.	1839.	1858.	1877.	1896.	16	15
1802.	1821.	1840.	1859.	1878.	1897.	17	26
1803.	1822.	1841.	1860.	1879.	1898.	18	7
1804.	1823.	1842.	1861.	1880.	1899.	19	18
1805.	1824.	1843.	1862.	1881.		1	*
1806.	1825.	1844.	1863.	1882.		2	11
1807.	1826.	1845.	1864.	1883.		3	22
1808.	1827.	1846.	1865.	1884.		4	3
1809.	1828.	1847.	1866.	1885.		5	14
1810.	1829.	1848.	1867.	1886.		6	25
1811.	1830.	1849.	1868.	1887.		7	6
1812.	1831.	1850.	1869.	1888.		8	17
1813.	1832.	1851.	1870.	1889.		9	28
1814.	1833.	1852.	1871.	1890.		10	9
1815.	1834.	1853.	1872.	1891.		11	20
1816.	1835,	1854.	1873.	1892.		12	1
1817.	1836.	1855.	1874.	1893.		13	12
1818.	1837.	1856.	1875.	1894.		14	23
1819.	1838.	1857.	1876.	1895.		15	4

Hæc de correctione epactarum seu potius *de propagatione numeri aurei in* 30 *epactas* dicta sufficiant (1).

(1) Licet cyclus epactarum triginta numeros contineat, non utimur tamen omnibus triginta eodem tempore ; sed tantum decem et novem adhibemus, quot nimirum sunt aurei numeri, per quos hujusmodi triginta numeri epactales æquantur progrediunturque. Itaque inde ab anno 1700. inclusive usque ad finem anni 1899., utimur epactis 11, 22, 3, 14, etc. ; ab anno 1900. autem usque ad an. 2199. in epactarum cyclo progredientes adhibebunt epactas quæ ordine sequuntur, nimirum 10, 21, 2, 13, 24, etc. etc. Ab anno 2200. usque ad an. 2299. epactæ erunt 9, 20, 1, 12, 23, et cæteræ, quæ per continuam additionem numeri 11 ad præcedentem epactam eadem semper ratione progrediuntur. *Cfr. Rubrica martyrol. Rom.* et usus *literarum Indicum* in capite addititio.

77. Quod ad usum epactarum pertinet, *absque his*, inquit *S. Isidorus* (*l. c. n.* 31.), *non invenies lunam quota sit in quolibet anno et mense et die.* Id quemadmodum sit intelligendum, operæ pretium est breviter exponere. Pro dignoscendis igitur ex epacta lunæ diebus, addendi ipsi sunt tot dies, quotus fuerit mensium numerus, non a januario, sed a martio inclusive numeratus. (*S. Isid. l. c.*).

Per hanc additionem obtinetur epacta, seu ætas lunæ pro primo die illius mensis, in quo lunæ dies quæritur. Si deinde collectæ huic summæ etiam numerus dierum mensis adjiciatur, totalis summa ætatem lunæ pro tali die indicabit, dummodo dicta summa tricenarium numerum non superet; tunc enim luna non erit nisi tot dierum quot dies abjectis 30 ex illa summa supersunt. Si v. g. invenire velis ætatem lunæ pro primo die augusti hujus anni 1863., sumes epactam 11, quæ juxta diagramma propositum anno currenti competit. Epactæ 11 addes numerum mensium a martio inclusive numeratum, h. e. 6: in collecta summa 17 habebis diem lunæ pro primo die mensis augusti. Si deinde dignoscere velis ætatem lunæ pro festo Assumptionis B. M. V. seu pro 15. ejusdem mensis augusti, summæ 17 ex priori additione jam obtentæ addes simul numerum dierum seu 15, et detractis 30 ex summa 32, quæ ex ultima additione exurgit, supererunt 2, qui diem lunæ pro 15. augusti indicabunt. Hæc regula tamen lunæ ætatem non nisi præter propter indicat et quidem semper diem completum. Vide quæ habet *Petav. lib* VI. *c.* 26. *de Doctrina tempor.*

Sed et alius est numerorum epactalium usus quoad Paschatis atque inde reliquorum etiam mobilium festorum celebrationem; per introductum novum epactarum numerum enim lunationes iis locis affixæ detinentur, ut satisfieri priscæ Ecclesiæ canonibus possit; qua de re postea.

DE CYCLO SOLARI ET LITERIS DOMINICALIBUS.

CAPUT VI.

TEXTUS PROŒMII. *Tabella Literarum Dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis* 1582. (*detractis prius* 10 *diebus*) *usque ad annum* 1700. *inclusive.*

c	b	A g	f	e	d	c b	A	g	f	e d	c	b	A
g f	e	d	c	b A	g	f	A	d c	b	A	g	f e	d

Usus hujus tabellæ hic est. Anno correctionis 1582. post Idus octobris (detractis prius 10 diebus) tribuatur litera *c* primæ cellulæ et sequenti anno 1583. litera *b* secundæ, et anno 1584. dentur literæ *a g* tertiæ cellulæ, et sic deinceps aliis annis ordine aliæ cellulæ tribuantur, donec ad annum propositum perventum sit, redeundo ad principium tabellæ, quotiescumque eam percurreris. Nam cellula in quam annus propositus cadit, dummodo minor sit quam annus 1700., dabit Literam Dominicalem propositi anni : quæ si unica occurrerit annus erit communis : si vero duplex, Bissextilis ; et tunc superior litera Dominicam diem ostendet in Kalendario usque ad festum sancti Mathiæ Apostoli ; inferior autem ab hoc festo usque ad finem anni. Exempli gratia : Sit invenienda Litera Dominicalis anno 1587. Numera ab anno 1582., quem tribue primæ literæ *c*, usque ad annum 1587., tribuendo singulis cellulis singulos annos (computando geminas literas quascunque, superiorem et inferiorem, pro una cellula) cadetque annus 1587. in literam *d*, quæ sextum locum in tabella occupat. Est ergo toto eo anno Litera Dominicalis *d*, annusque communis est, quum litera simplex occurrat. Rursus sit investiganda Litera Dominicalis anno 1616.; numera ab anno 1582., ut dictum est, usque ad annum 1616., redeundo ad principium tabellæ, postquam eam percurreris, perveniesque ad duas hasce literas *c b*, septimo loco positas. Est ergo annus ille Bissextilis, quum duplex litera occurrat, superiorque litera *c* Dominicam diem indicabit a principio anni illius usque ad festum sancti Mathiæ, inferior autem *b* in reliqua parte anni.

COMMENTARIUS.

LITERÆ DOMINICALES.

§ I.

78. Si anni dies numerum septenarium efficerent atque annus dividi in hebdomadas 52 ita posset, ut unus dies (in annis communibus) vel biduum (in bissextilibus) non superaret, dies Dominicus necessario eadem semper litera designaretur (sup. n. 47.); nunc vero superfluus ille dies literarum dierumque ordinem in sequentis anni capite perturbat. Ita fit, ut, si primus dies januarii, quem litera A notatum videmus, in diem Dominicum incidat, etiam ultimus anni dies, cui eadem hæc litera A affixa est, dies Dominicus sit, ac proinde sequenti anno, qui initium a feria II sumit, litera A non jam diem Dominicum, ut anno proxime elapso, sed vero feriam II. designet et littera *g* futura sit litera dominicalis per totum hunc annum secundum, litera *f* per tertium et sic porro, ita ut ordine retrogrado post septem annos dies Dominicus regrederetur ad primam literam A, nisi cyclus iste per annos bissextiles, singulis quadrienniis recurrentes, interrumperetur ac literarum ordo per insertum diem denuo perturbaretur.

Annus bissextus enim quum hebdomadas 52 biduum excurrat, binis literis ordinem feriarum, h. e. dierum hebdomadis promovet. Si enim a die Dominico incepit, finietur feria II., et primus dies anni sequentis cadet in feriam III., qui quum literam A semper affixam retineat, efficiet, ut litera Dominicalis anni proxime elapsi jam migret in feriam III. et Dominicalis litera hoc altero anno sit *f*.

79. Ex eadem ratione anno bissexto duæ sunt literæ dominicales, prior quidem a Kalendis januarii ad diem 25. februarii, Divo Mathiæ sacrum, altera ab eodem festo ad

anni finem; litera enim quæ ab initio anni usque ad festum S. Mathiæ in diem Dominicum incidebat, deinceps a 25. februarii in feriam II. cadit et dies Dominicus jam præcedenti litera notatur.

Propter hanc interruptionem igitur dies Dominicus non singulis septenniis redit ad literam A, sed potius requiruntur septem quadriennia seu *octo et viginti anni*, post quos dies Dominicus iterum incidit in primum diem januarii et dominicalis litera erit A, et hæc annorum 28 revolutio *cyclus solaris* vocatur.

80. Literas dominicales, quibus primi dies mensium notantur, hisce versiculis perdocemur:

Alta domat Dominus, gratisque beabit egenos.
Gratia Christicolæ feret aurea dona fideli.

Horum versuum duodecim verba duodecim mensibus ex ordine respondent, nempe *Alta* januario, *Domat* februario, *Dominus* martio, et sic de reliquis, et litera initialis primi vocabuli seu A est litera kalendarum januarii, *d* litera kalendarum februarii, et ita porro. Unde primo diei mensis januarii competit litera dominicalis A; primo diei februarii litera dominicalis *d*; primo diei martii item *d*: primo diei aprilis litera dominicalis *g*, et sic de aliis juxta ordinem suum. Cognito autem primo die alicujus mensis, quotus nimirum in hebdomade ille sit, patet, quænam litera dominicalis illi anno respondeat. Maius v. g. hoc anno 1864. a die dominico incipit, unde literam *b* tanquam literam dominicalem hujus anni videmus notatam in Kalendariis. Item primus dies mensis augusti, qui designatur litera *c*, hoc anno incidit in feriam II; secundus dies notatus litera *d*, in feriam III; tertius, not. lit. *e*, in feriam IV, etc.; hinc dies septimus, seu dies dominicus litera *b* notetur necesse est. Hac ratione ergo etiam sine tabella inveniri literæ dominicales possunt.

CYCLUS SOLARIS.

§ II.

81. *Cyclus solis*, quem annorum 28 systema esse diximus, non dicitur *solaris*, quod motum solis aliquem specialem designet, sed quod ejus ope literarum dominicalium ordinem cognoscamus; dies dominicus enim, quem litera dominicalis notat, olim *dies Solis* appellabatur. Eum chronographi, qui literas ad designandos hebdomadis dies adhiberi solitas respiciunt, definire solent *literarum dominicalium revolutionem per quadriennia Juliana septem.*

82. Cyclum solarem communiter ab anno bissextili ordinuntur primoque anno literas *g f* assignant. Ita fit, ut toto cyclo solis literæ hoc ordine decurrant.

CYCLUS SOLARIS.			
Anni.	Literæ.	Anni.	Literæ.
1.	g f	15.	c
2.	e	16.	b
3.	d	17.	A g
4.	c	18.	f
5.	b A	19.	e
6.	g	20.	d
7.	f	21.	c b
8.	e	22.	A
9.	d c	23.	g
10.	b	24.	f
11.	A	25.	e d
12.	g	26.	c
13.	f e	27.	b
14.	d	28.	A

Ad inveniendum quotus in annum quemcunque datum cycli solaris annus incidat, sciendum est, annum primum æræ communis incurrisse in decimum annum cycli solaris ac proinde primo anno Christi cyclum solis 10. respondere. Si ergo annis Christi addas 9, et collectam summam dividas per 28, invenies numerum cycli solaris, quo annus propositus notatur: scilicet, si quid residuum fuerit, id denotabit, quotus in eo cyclo solari sit annus iste; si nihil fuerit superfluum, annus ille erit vicesimus octavus cycli; quam regulam vel hoc distycho tradunt:

Junge annis Domini ter ternos, perque viginti
Octo seca summam: Cyclus solaris habetur.

Vel hoc alio in eamdem sententiam conscripto proponunt:

Annis adde novem Domini, partire per Octo
Viginti, cyclus sic tibi notus erit.

Exemplo sit hic annus 1863. Addo 9 et collectam summam 1872 divido per 28. Erunt in *quotiente* cycli integri 66 et residui erunt 24. Huic igitur anno cyclus solaris est 24, cui ante correctionem Kalendarii Juliani e regione semper respondebat in tabulis litera dominicalis *f*. Jamvero tradita regula inveniendi cyclum solis singulis annis respondentem usum suum etiamnum obtinet, quia per correctionem Kalendarii nihil immutatum est circa cyclum solarem, sed tantummodo circa literas dominicales cyclo in laterculis e regione respondentes. Id vero quomodo factum sit, accipe. Usque ad 4. octobris anni correctionis 1582., unicum erat Kalendarium, nempe Julianum, nam usus Kalendarii Gregoriani non incepit nisi sequenti die. Eo anno litera dominicalis erat *g* ac proinde 30 septembris dies dominicus. Quarta octobris incidebat in feriam v.; sequens dies erat feria vi. in utroque Kalendario, quia dies hebdomadæ nunquam fuerunt interrupti, sed non erat idem dies mensis: in Kal.

Juliano erat 5. octobris, in Gregoriano 15. ob 10 dies exemptos. Biduo post feriam VI. erat dies dominicus in utroque Kalendario, sed in Juliano incidit in 7. octob., juxta quem diem invenitur litera *g*, quæ proinde dominicalis remansit, ut erat; in Gregoriano autem incidit in 17., cui adscripta est litera *c*, quæ proinde dominicalis evasit in Kalend. reformato, prout ipse Gregorius. PP. XIII. statuit in cit. *Bulla Correctionis*, de qua diximus n. 60. Jam vero ista differentia 10 dierum seu literarum perpetuo constans non permansit. Quum enim Gregorius voluisset, ut anni 1700. 1800. et 1900., bissextiles non essent, iisdem duæ literæ dominicales non fuerunt imputatæ, ut centesimis annis antea (etiam anno 1600. non excepto) semper factum fuerat. Hinc annum 1700. notatum videmus litera *c*, non autem literis *c b*, et annum 1800, litera *e*, non autem literis *e d*.

Patet ergo, differentiam, quæ anno correctionis erat 10 dierum seu literarum, an. 1700. evasisse 11 dierum, a. 1800. jam factam esse 12: ab anno 1900. usque ad an. 2100. futuram 13, ab an. 2200. autem 14, et sic porro.

Ex his autem satisfieri facile potest quæsito, *quomodo* nimirum *ex litera dominicali Kalendarii Juliani erui possit litera dominicalis Kalendarii Gregoriani.*

Animadvertendum ergo ante omnia est, non esse utriusque Kalendarii eamdem literam dominicalem, *nisi per accidens*, h.e., *quando differentia inter dies mensis erit exacte divisibilis per* 7. Quamvis enim eædem literæ iisdem diebus mensium in utroque Kalendario sint adscriptæ, non tamen est eodem die naturali in utroque Kalendario idem dies mensis; unde fieri nequit, ut in utroque eadem litera dominicalis habeatur, nisi quando differentia inter dies mensis erit divisibilis per 7, quia post 7 quosque dies eadem litera recurrit.

Animadvertendum deinde est, septem illas literas, quæ

omnibus totius anni diebus ordine directo tribuuntur, ordine retrogrado fieri dominicales.

Quibus positis, literam dominicalem Kalendarii Gregoriani ex data litera dominicali Kalendarii Juliani erues hoc modo : v. g. an. 1863. Cyclus solaris est 24., cui litera *f* tanquam dominicalis respondet. Quum Kal. Julianum 12 diebus a correcto Gregoriano differat, a litera *f* exclusive computa 12 literas ordine directo, et incides in literam *d*, quæ reipsa est litera dominicalis anni 1863. in Kalendario Gregoriano. Ratione inversa literam dominicalem Kalendarii Juliani invenies ex data litera dominicali novi Kalendarii.

Unde ab anno 1700. usque ad 1800. exclusive addes 11 dies vel literas; ab an. 1800. usque ad 1900. excl. 12., et sic porro. Quando autem differentia erit 14, 21, 28 sive quivis alius numerus exacte per 7 divisibilis, litera dominicalis per accidens eadem erit in utroque Kalendario.

Tabellam literarum dominicalium ab Idibus Octobris anni correctionis 1582. usque ad annuum 1700. qui primus est ex centesimis, qui annumeratus non est bissextilibus, reperies in ipso prooemio breviarii, quod interpretamur.

83. Quum juxta correctionem Gregorii PP. XIII. annus 1800. bissextilis non fuerit, sæculo XIX. ordinem literarum dominicalium in cyclo solari iterum turbari necesse est. Quamvis nimirum annus 1800. notetur cyclo solis 17., eidem tamen, quum bissextilis non sit, ex literis *e d*, quæ toto sæculo XVIII. cyclo solis 17. in tabellis responderunt, prior tantum litera *e* tribuitur; sequenti anno vero litera *d* (1). Unde sæculis XVIII. et XIX. literæ dominicales annis cycli solis hoc ordine respondent :

(1) Eadem de causa anno 1900., qui juxta Gregorianam correctionem Bissextilis non est, una tantum litera *g* tribuitur, anno 1901. autem *f* et anno 1904. demum *c b*.

CYCLUS SOLIS ET LITERÆ DOMINICALES.

SÆCULO XVIII.			SÆCULO XIX.		
Ann. Christi.	C. S.	L. D.	Ann. Christi.	C. S.	L. D.
1700.	1	c	1800.	17	e
1701. 1729. 1757. 1785.	2	b	1801. 1829. 1857. 1885.	18	d
1702. 1730. 1758. 1786.	3	A	1802. 1830. 1858. 1886.	19	c
1703. 1731. 1759. 1787.	4	g	1803. 1831. 1859. 1887.	20	b
1704. 1732. 1760. 1788.	5	f e	1804. 1832. 1860. 1888.	21	A g
1705. 1733. 1761. 1789.	6	d	1805. 1833. 1861. 1889.	22	f
1706. 1734. 1762. 1790.	7	c	1806. 1834. 1862. 1890.	23	e
1707. 1735. 1163. 1791.	8	b	1807. 1835. 1863. 1891.	24	d
1708. 1736. 1764. 1792.	9	A g	1808. 1836. 1864. 1892.	25	c b
1709. 1737. 1765. 1793.	10	f	1809. 1837. 1865. 1893.	26	A
1710. 1738. 1766. 1794.	11	e	1810. 1838. 1866. 1894	27	g
1711. 1739. 1767. 1795.	12	d	1811. 1839. 1867. 1895.	28	f
1712. 1740. 1768. 1796.	13	c b	1812. 1840. 1868. 1896.	1	e d
1713. 1741. 1769 1797	14	A	1813. 1841. 1869. 1897.	2	c
1714. 1742. 1770. 1798.	15	g	1814. 1842. 1870 1898.	3	b
1715. 1743. 1771. 1799	16	f	1815. 1843. 1871. 1899.	4	A
1716. 1744. 1772.	17	e d	1816. 1844. 1872.	5	g f
1717. 1745. 1773.	18	c	1817. 1845. 1873.	6	e
1718. 1746 1774.	19	b	1818. 1846. 1874.	7	d
1719. 1747. 1775.	20	A	1819. 1847. 1875.	8	c
1720. 1748. 1776.	21	g f	1820. 1848. 1876.	9	b A
1721. 1749. 1777.	22	e	1821. 1849. 1877.	10	g
1722. 1750. 1778.	23	d	1822. 1850. 1878.	11	f
1723. 1751. 1779.	24	c	1823. 1851. 1879.	12	e
1724. 1752. 1780.	25	b A	1824. 1852. 1880.	13	d c
1725. 1753. 1781.	26	g	1825. 1853. 1881.	14	b
1726. 1754. 1782.	27	f	1826. 1854. 1882.	15	A
1727. 1755. 1783.	28	e	1827. 1855. 1883.	16	g
1728. 1756. 1784.	1	d c	1828. 1856. 1884.	17	f e

DE INDICTIONE.

CAPUT VII.

TEXTUS PROŒMII. Indictio est revolutio 15. annorum ab 1. usque ad 15. qua revolutione peracta, iterum reditur ad unitatem, initiumque sumit quilibet annus hujus cycli a januario in Bullis Pontificiis. Et quoniam Indictionem frequens usus est in diplomatibus et scripturis publicis, facile annum Indictionis currentem quolibet anno proposito inveniemus ex sequenti tabella, cujus usus perpetuus est; initium tamen sumit ab anno correctionis 1582.

Tabella Indictionum ab anno correctionis 1582.

10. 11. 12. 13. 14. 15. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.

Nam si anno 1582. tribuas primum numerum, qui est 10, et sequenti anno 1583 secundum numerum, qui est 11, et sic deinceps usque ad annum propositum, redeundo ad principium tabellæ, quotiescunque eam percurreris, cadet annus propositus in Indictionem, quæ quæritur.

COMMENTARIUS.

INDICTIO.

84. *Indictionis* nomine tributi genus venit, quod extra ordinem ac de novo solvendum imponitur agris seu possessionibus. Onus illud fructuum fuisse ostendit *Paullus* in *l. Quæro* 28. *ff. de Usu et usufructu* (XXXIII, 2.), in qua fundo, cujus ususfructus per legatum datus erat, *temporarias indictiones* indictas fuisse proponit.

Indictio etiam significat spatium 15 annorum in orbem circumactorum, h. e. quindecim annorum in se revolutorum iterationem, cujusmodi partitione tempora numerari computarique Constantinus instituisse dicitur.

85. De nominis ratione non parva est difficultas, etsi ab *indictionibus* seu functionibus tributariis manasse constans fere sit opinio. Sed cur 15 annorum spatio indictiones finiri placuerit, quove tempore id primum usurpari cœperit, quum

multæ multorum conjecturæ sint, nulla satis probabilis affertur, inquit *Petavius de Doctrina Temp. l.* XI. *c.* 40. Quod enim omnium, quæ ad hanc diem excogitata sunt probabile maxime judicatur, ex eo, quod Constantinus militaria stipendia ad 15 annos redegerit, quæ 16 antea taxata fuerant, inde totidem annos in periodum esse conjectos, id propterea minus est firmum, quod auctorem illum fuisse contrahendi stipendii militaris et ad 15 annos revocandi, neque veteribus ullis monumentis probatur, neque magnum ex unius anni deductione compendium ad milites rediturum fuisse videtur. Ita *Petav., l. c.*

Indictionum computationem a mense septembri inchoatam constat ejusque rei locuples testis est *S. Ambrosius,* cujus *lib. de Noe et Arca c.* 17, verba sunt hæc : *Etsi a septembri mense annus videatur incipere, sicut indictionum præsentium usus ostendit.* Idem: *Indictio,* inquit *Epist.* 23. *classis* I., *mense septembri incipit.* (*Edit. Migne, tom.* 3. *p.* 1032.)

86. Triplicem indictionis usum observare est apud scriptores: alia enim a Kal. septembris proficiscitur eaque *Constantinopolitana* dicitur; altera ab VIII. Kal. octobris, quæ *Constantiniana* et *Cæsarea ;* tertia denique, quæ *Pontificia* seu *Romana* a Kal. januarii consurgit. *Indictione Constantinopolitana* imperatores Constantinopolitani et historiæ Byzantinæ scriptores utebantur eamque etiamnum minores quædam civitates adhibent. Et hæc quidem indictio est, quæ memoratur in Actis Concilii œcumen. VIII. Constantinopolitani, quando, v. g., *prima* actio celebrata dicitur *Indictione tertia*, die 5. mensis octobris, feria IV (1). Quum enim aliunde notum sit, annum æræ vulgaris currentem fuisse 869., Indictio Romana erat 2. Ast Constantinopolitana, quæ a 1. septemb. incipiebat, revera tertia erat : inter utramque enim debebat esse differentia unitatis mense octobris.

(1) Apud *Hard. tom.* V. *pag.* 764.

Indictionis, quæ ab VIII. Kal. octobris proficiscitur, originem Constantino M. adscribunt chronographi : unde et *Constantiniana* dicitur, quam ab hoc die cœptam ideo volunt, quod tum imperare cœperit anno Christi 307. Atque hujus usum Gallis et Britannis familiarem fuisse constat. In Germania perinde eadem semper obtinuit indictio, unde et *Cæsaream* appellant.

Indictio *Romana* seu *Pontificia* quando cœperit, non omnino constat. Nam ex Epistolis S. Gregorii M., Joannis VIII. et S. Gregorii VII. (lib I. epp. 19., 20...) Pontificia diplomata ac epistolas indictionibus more Græcorum a Kal. septembribus inchoatis subnotari observare est, quod et alia acta vetera apud Baronium a. 1154. adstruunt; ex quibus colligunt chronographi, indictionum exordia varie pro scriptorum aut notariorum arbitrio tabulis initio esse adscripta.

87. Si per istam 15 annorum periodum retrogrediamur ad primum æræ christianæ annum, congruit ille cum *quarto anno Indictionis Pontificiæ*. Unde hanc habemus rationem indictionis inveniendæ : cuivis annorum Christi numero addantur 3, dividaturque summa per 15 ; si præter quotientem nihil est reliqui, annus indictionis est 15. ; si reliquus sit numerus, is annum indictionis indicabit. Sic anno 1864. addantur 3, erunt 1867 ; summa collecta dividatur per 15, prodibunt ultra quotientem 124 adhuc 7, quæ proinde designant annum currentem 1864. esse *septimum cycli indictionis*. Unde versus :

Si tribus adjunctis Domini diviseris annos
Ter tibi per quinos : Indictio certa patebit.

Leguntur præterea hi in eamdem sententiam versus :

Si per quindenos Domini diviseris annos
His tribus adjunctis, Indictio certa patebit :
Si nihil excedit, quindena Indictio currit.

DIAGRAMMA INDICTIONIS SÆC. XIX.

Anni sæculi XIX.							Indictio.
1800.	1815.	1830.	1845.	1860.	1875.	1890.	3.
1801.	1816.	1831.	1846.	1861.	1876.	1891.	4.
1802.	1817.	1832.	1847.	1862.	1877.	1892.	5.
1803.	1818.	1833.	1848.	1863.	1878.	1893.	6.
1804.	1819.	1834.	1849.	1864.	1879.	1894.	7.
1805.	1820.	1835.	1850.	1865.	1880.	1895.	8.
1806.	1821.	1836.	1851.	1866.	1881.	1896.	9.
1807.	1822.	1837.	1852.	1867.	1882.	1897.	10.
1808.	1823.	1838.	1853.	1868.	1883.	1898.	11.
1809.	1824.	1839.	1854.	1869.	1884.	1899.	12.
1810.	1825.	1840.	1855.	1870.	1885.	1900.	13.
1811.	1826.	1841.	1856.	1871.	1886.	1901.	14.
1812.	1827.	1842.	1857.	1872.	1887.	1902.	15.
1813.	1828.	1843.	1858.	1873.	1888.	1903.	1.
1814.	1829.	1844.	1859.	1874.	1889.	1904.	2.

Præter tres illas annorum revolutiones, quas Procemium Breviarii exhibet, plures alias excogitarunt computistæ. Ex iis duas tantum memorasse sufficiat, nimirum *periodos Victorianam* et *Julianam.*

Periodus Victoriana, a Victorio Aquitano inventa anno 457., est 532 annorum, oriturque ex numero annorum cycli lunaris et solaris inter se multiplicatis, namque $28 \times 19 = 532$. *Petav. lib.* II. *cap.* 67. *de Doct. Temp.*

Si periodus Victoriana multiplicetur per 15 sive per numerum annorum cycli indictionis, summa ex hac multiplicatione ($28 \times 19 \times 15$) effecta est 7980, quæ ipsa est *periodus Juliana.* Periodum Julianam ejusque fructum et methodum accurate describit *Petavius lib.* VII. *cc.* 7. 8. *et* 9., *de Doct. Temp.*

DE FESTIS MOBILIBUS.

CAPUT VIII.

TEXTUS PROŒMII. Quoniam ex Decreto sacri Concilii Nicæni Pascha, ex quo reliqua festa mobilia pendent, celebrari debet die dominico, qui proxime succedit XIV. lunæ primi mensis (is vero apud Hebræos vocatur primus mensis, cujus XIV. luna vel cadit in diem verni Æquinoctii, quod die 21. mensis martii contingit, vel propius ipsum sequitur), efficitur, ut si epacta cujusvis anni inveniatur et ab ea in Kalendario notata inter diem octavum martii inclusive et quintum aprilis inclusive (hujus enim epactæ XIV. luna cadit vel in diem Æquinoctii verni, id est, in diem 21. martii, vel eum propius sequitur) numerentur inclusive deorsum versus dies quatuordecim, proximus dies dominicus, diem hunc XIV. sequens (ne cum Judæis conveniamus, si forte dies XIV. lunæ caderet in diem dominicum) sit dies Paschæ.

EXEMPLUM. Anno 1605. epacta est 10. et litera dominicalis b. Et quoniam invenimus epactam 10. inter diem 8. martii et 5. aprilis inclusive positam esse e regione diei 21. martii, a quo inclusive si deorsum versus numerentur 14 dies, inveniemus XIV. lunam die 3. aprilis, quæ est dominica, quum e regione sit litera dominicalis b. Ne igitur cum Judæis conveniamus, qui Pascha celebrant die XIV. lunæ, sumenda est litera dominicalis b., quæ sequitur XIV. lunam; nempe ea, quæ e regione diei 10. aprilis collocatur, atque eo anno Pascha celebrandum erit die 10. aprilis. Item anno 1604. epacta est 29. et duplex litera dominicalis d c, quum annus ille sit bissextilis. Si igitur ab epacta 29, quæ e regione diei 1. aprilis ponitur, inter diem 8. martii et 5. aprilis inclusive, numerentur dies 14, cadet XIV. luna in diem 14. aprilis. Et quia tunc currit posterior litera dominicalis, nempe c, quæ post diem 14. aprilis, id est, post XIV. lunam collocata est e regione 18. aprilis, celebrabitur eo anno Pascha 18. aprilis.

Cæterum ut facilius omnia festa mobilia inveniantur, compositæ sunt duæ sequentes tabulæ Paschales, una *antiqua*, et *nova* altera. Ex antiqua ita festa mobilia reperientur. In latere sinistro tabulæ acci-

piatur epacta currens, et in linea literarum dominicalium sumatur litera dominicalis currens, infra tamen epactam currentem; ita ut si litera dominicalis currens reperiatur e regione epactæ currentis, assumenda sit eadem litera dominicalis proxime inferior. Nam e regione hujus literæ dominicalis omnia festa mobilia continentur.

EXEMPLUM. Anno 1606. epacta est 21. et litera dominicalis A. Si igitur in tabula antiqua sumatur litera dominicalis A quæ primo infra epactam 21. occurrit, reperietur e regione hujus literæ dominica Septuagesimæ die 22. januarii, dies Cinerum 8. februarii, Pascha 26. martii, Ascensio Domini 4. maii, Pentecostes 14. maii, et festum Corporis Christi 25. maii. Dominicæ autem inter Pentecosten et Adventum eo anno erunt 28, et Adventus celebrabitur die 3. decembris. Et sic de cæteris. Item anno 1605. epacta est 10. et litera dominicalis b, quæ in tabula reperietur e regione epactæ 10. Quare sumenda est alia litera b, quæ proxime infra epactam invenitur, e regione cujus invenies Septuagesimam die 6. februarii, diem Cinerum 23. februarii, Pascha 10. aprilis, etc.

Notandum autem est, quod, quemadmodum in anno communi cadente litera dominicali e regione epactæ in tabula antiqua, sumitur eadem litera proxima infra epactam, ut diximus; ita quoque in anno bissextii, si alterutra duarum literarum dominicalium tunc currentium e regione epactæ reperiatur, assumendæ sunt aliæ duæ similes literæ proxime inferiores, ut festa mobilia inveniantur.

Ex *tabula* vero *paschali nova* ita eadem festa mobilia repirientur. In cellula literæ dominicalis currentis quæratur epacta currens. Nam e directo omnia festa mobilia deprehendentur. Ut anno 1609. in cellula literæ dominicalis d, tunc currentis, e regione epactæ 24, quæ eodem anno currit, habetur Septuagesima 15. februarii, dies Cinerum 4. martii, Pascha 19. aprilis, etc.

Sed sive antiqua, sive nova tabula Paschali utamur, invenienda sunt omnia festa mobilia in annis bissextilibus per literam dominicalem posteriorem, quæ nimirum currit post festum sancti Mathiæ apostoli, ne scilicet ambigamus, utra duarum literarum pro hoc aut illo festo indagando accipienda sit: ita tamen, ut Septuagesimæ et diei Cinerum inventæ in januario aut februario addatur unus dies. Quod ideo fit, quia ante diem sancti Mathiæ currit prior litera dominicalis, quæ in kalendario posteriorem semper sequitur; post festum autem sancti

Mathiæ in februario, licet posterior litera currat, additur tamen tunc dies intercalaris, ita ut dies 24. februarii dicatur 25. et 25. dicatur 26., etc. Quod si dies Cinerum cadat in martium, nihil addendum est, quia tunc et litera posterior currit et dies mensis propriis numeris respondet, quum dies intercalaris februario sit additus. Imo nisi per posteriorem literam investigarentur, non inveniretur recte Septuagesima in anno bissextili currente epacta 24 vel 25 et litera dominicali d c, ut in secundo ac tertio exemplo perspicuum fiet pro annis 4088. et 3784. Exempli gratia : anno 2096 bissextili, epacta erit 5 et literæ dominicales A g. Si igitur per posteriorem literam, quæ est g festa mobilia investigentur, reperietur Septuagesima die 11. februarii et dies Cinerum 28. februarii. Si autem addatur unus dies, cadet Septuagesima in diem 12. februarii, quæ est dominica, et dies Cinerum in 29. februarii, quæ est feria quarta. Pascha autem et reliqua festa in eos dies cadent, qui in tabula expressi sunt. Item, anno 4088. bissextili epacta erit 24 et literæ dominicales d c. Si igitur per literam c, quæ posterior est, inquirantur festa mobilia, invenietur Septuagesima die 21. februarii, et si addatur unus dies, cadet in diem 22. februarii, quæ est dominica. Dies autem Cinerum cadet in diem 10. martii : quare nihil additur, etc. Rursus anno 3781. bissextili, epacta erit 25 et literæ dominicales d c. Ergo iterum per posteriorem c reperietur Septuagesima die 21. februarii, hoc est, addito 1 die 22. Quod si per priorem literam d in utroque horum duorum annorum agendum esset, nihil efficeretur, quum infra epactas 24 et 25 litera d indicet Septuagesimam die 15. februarii, quod falsum esset, quum eo anno posterior litera c Pascha offerat die 25. aprilis, ac proinde Septuagesima die 22. februarii celebranda sit, ut liquido constat, si, a die Paschæ, dominicæ retro numerentur usque ad Septuagesimam.

In priori porro tabula Paschali antiqua reformata epactis ad sinistram præposuimus aureos numeros eodem ordine, quo ante emendationem kalendarii collocari solebant, ut ex iis festa mobilia invenirentur. Hoc autem idcirco a nobis factum est, ut Pascha cæteraque festa mobilia, a Concilio Nicæno usque ad annum 1582. quilibet indagare possit. Eodem autem prorsus artificio ex aureis numeris ita distributis festa mobilia eruuntur, quo ex epactis. Sit enim explorandum, exempli causa, quando festa hæc celebrata fuerint anno 1450.

Quoniam eo anno aureus numerus fuit 7 et litera dominicalis d, si aureus numerus 7 in sinistro latere accipiatur et prima litera d infra eum occurrens, reperietur e regione hujus literæ d Septuagesima die 1. februarii, dies Cinerum 18. februarii, Pascha die 5. aprilis, etc.

Adventus Domini celebratur semper die dominico qui propinquior est festo sancti Andreæ apostoli, nempe a die 27. novembris inclusive usque ad diem 3. decembris inclusive: ita ut litera dominicalis currens, quæ reperitur in Kalendario a die 27. novembris usque ad diem 3. decembris indicet Dominicam Adventus. Ut, verbi gratia, si litera dominicalis est g, dominica Adventus cadet in diem 2. decembris, quia ibi est litera g in Kalendario etc.

COMMENTARIUS.

DECRETUM CONCILII NICÆNI.

88. Quamvis decretum *de Paschate celebrando* inter 20. canones Nicænos non reperiatur, constat tamen ex indubiis antiquitatis monumentis, definitum a concilio juxta ecclesiasticam traditionem fuisse, ut Pascha Resurrectionis Græci ac Latini eadem die celebrarent, deinde ut ad Judæorum differentiam ea dies esset dominica XIV. lunæ martii mensis proxime sequens; tertio ut circuli decemnovennalis usus admitteretur.

S. Athanasius in Epistola ad Afros episcopos data anno circiter 369. docet, Paschæ solemnitatem in causa fuisse, cur Nicæna synodus celebrata sit. *Ea enim*, inquit, *ob Arianam hæresim et ob paschæ solemnitatem convocata fuit; quia Syri, Cilices et qui in Mesopotamia degunt, a nobis dissentiebant, et eodem quo Judæi tempore Pascha celebrabant. Sed gratia Domini quod cum de fide, tum de sancta illa solemnitate omnium una mens fuerit. Et hæc quidem Nicænæ Synodi causa.* (Edit. *Migne tom.* 2. *pag.* 1031.) De causis Concilii disserens *Eusebius libro mox citando* cum Athanasio plane consonat.

Eamdem *concordem Synodi sententiam de fide et de Pascha* Nicææ latam ac singulorum episcoporum subscriptionibus firmatam tradit *Eusebius* in *Vita Constantini lib.* III. *cap.* 14., ubi ait: *Adeo ut non modo unius fidei consonantia apud omnes obtineret, verum etiam unum idemque tempus in salutaris festi celebratione ab omnibus firmaretur. Porro ea quæ in communi placuerant, scriptis mandata et singulorum subscriptione roborata sunt.* (Edit. *Migne. Patrol. Græc. tom.* 20. h. e. *Op. Eusebii tom.* 2. *pag.* 1070.)

Quod idem decretum cum omnibus Ecclesiis communicat Constantinus in epistola, quæ eas *de rebus Nicææ gestis certiores facit,* et quam refert *Eusebius lib. cit.* cc. 17 — 20. Sic enim Constantinus scribit: *Ubi quum de sanctissimo Paschæ die quæsitum fuisset, communi omnium sententia decretum est, eam festivitatem uno eodemque die ab omnibus ubique celebrari oportere... Visa est omnibus res esse prorsus indigna, ut in sanctissimæ hujus solemnitatis celebratione consuetudinem Judæorum sequeremur... Qua rejecta possumus rectiori ordine, quem a primo passionis die ad hæc usque tempora servavimus, ad futura etiam sæcula hujus observantiæ ritum propagare. Nihil ergo nobis commune sit cum inimicissima Judæorum turba. Aliam enim viam a Salvatore accepimus..... Atque ut summatim ac breviter dicam, placuit communi omnium judicio, ut sanctissimæ Paschæ festivitas uno eodemque die celebraretur. Neque enim decet in tanta sanctitate aliquam esse dissonantiam præstatque eam sequi sententiam, in qua nulla est alieni erroris scelerisque societas atque communio.* (*Edit. cit. pag.* 1075. *seqq.*)

S. Ambrosius epistolam ad episcopos per Æmiliam constitutos sic orditur: *Non mediocris esse sapientiæ diem celebritatis definire Paschatis et scriptura divina nos instruit et traditio majorum: qui convenientes ad synodum Nicœnam inter illa fidei* (1) *ut vera, ita admiranda decreta etiam super cele-*

(1) *Per se* quidem ad fidem non pertinet, utrum Pascha celebretur

britate memorata, congregatis peritissimis calculandi, decem et novem annorum collegere rationem et quasi quemdam constituere circulum, ex quo exemplum in annos reliquos gigneretur. Hunc circulum Enneadecaterida *nuncuparunt.* (Edit. *Migne tom.* 3. *epist.* 23. *classis* I. *pag.* 1026.)

S. Cyrillus Alexandrinus in *Prologo Paschali* anno 437. edito ita tradit § 2: *Quum his igitur atque hujusmodi dissensionibus per universum mundum Paschalis regula perturbaretur, sanctorum totius orbis synodi consensione decretum est, ut, quoniam apud Alexandriam talis esset reperta Ecclesia, quæ hujus scientiæ perfectione clareret, quota kalendarum vel iduum et quota luna Pascha rite debeat celebrari, per singulos annos Romanæ Ecclesiæ intimaret* (1)*: unde Apostolica auctoritate universalis Ecclesia per totum orbem definitum Paschæ diem sine ulla disceptatione cognosceret. Quod quum per multa sæcula pariter custodissent*, etc. (Ed. *Migne tom.* 10. *Epist.* 87. sive *Prologus*, *p.* 384.)

Idem confirmat S. *Leo M.*, [illegible] in epistola ad *Marcianum Augustum* data 15. jun. a. 45[illegible]: *Paschale festum*, inquit, *quamvis in primo semper mense celebrandum sit, ita tamen est lunaris cursus conditione mutabile, ut plerumque sacratissimæ diei ambigua occurrat electio, et ex hoc fiat plerumque, quod non licet, ut non simul omnis Ecclesia quod nonnisi unum esse oportet, observet. Studuerunt itaque sancti Patres occasionem*

ipsa luna 14. an dominica sequenti. Potuisset Ecclesia, si ita visum fuisset, sancire vel permittere, ut Pascha celebraretur eo die; ast *ratione connexionis* ad fidem pertinere potest ac revera pertinet, si v. g. Pascha celebretur luna 14, quia putatur ex præcepto divino ita celebrandum esse, vel legem Mosaicam etiamnum obligare. Atque ita conciliari facile possunt diversæ Patrum sententiæ, si duplex sensus, quo aliquid *ad fidem spectare* dicitur, opportune distinguatur.

(1) De ἑορταστικαῖς sive Paschalibus hisce literis, quas *Eusebius* etiam commemorat in *Histor. Eccles. lib.* VII. *c.* 15. conferantur *Prolegomena* præfixa editioni græco-latinæ *Homiliarum Paschalium S. Cyrilli Alexandrini* apud *Migne, tom.* 10. *pag.* 391.

hujus erroris auferre, omnem hanc curam Alexandrino Episcopo delegantes (quoniam apud Ægyptios hujus supputationis antiquitus tradita esse videbatur peritia), per quem quotannis dies prædictæ solemnitatis Sedi Apostolicæ indicaretur, cujus scriptis (1) *ad longinquiores Ecclesias indicium generale percurreret.* (*Edit. Migne. tom.* 1. *Epist.* 121. *pag.* 1055.)

Sed nemo auctoritatem synodi Nicænæ pro usu Enneadecaeteridos gravius ac sæpius urget, quam *Dionysius Exiguus*, qui in epistola sua prima, a. 525. scripta, Latinis usum cycli 19. annorum ex eo maxime persuadere conatur, quod is *ex veneranda synodi Nicænæ constitutione esse noscatur.* (*Edit. Migne, pag.* 19.)

Licet autem concilium Nicænum curam supputandi Paschatis Alexandrino præsuli commiserit, quia tamen plura ad circuli decemnovennalis usum necessaria non satis explicata, neque termini paschales accurate definita fuerunt, postea multæ gravesque difficultates exortæ sunt circa diem Paschæ inter Latinos et Alexandrinos, quas post *Paulum Forosemproniensem de recta Paschæ celebratione lib.* IV. recenset *Zallinger Juris Eccl. Publ. et Priv. lib.* II. *Subsid. in Apendic. histor.* c. 6. Aliquot item exemplis Latinorum Alexandrinorumque Paschale dissidium illustrat *Petavius de Doctrina Temp. lib.* II. *c.* 65.

89. Ad *æquinoctium vernum* quod spectat, quum celebratio Paschatis maxime ex eo pendeat, prout sequenti numero declarabimus, Patres Nicæni illud omni studio certis diei

(1) Et istæ quidem sunt *Epistolæ Paschales*, quæ in Concilio Arelatensi I. relato in *can. de Observatione Paschæ.* 26. *distinct.* 3. *de Consecrat. juxta consuetudinem ad omnes dirigi* dicuntur. Toletanum Concilium IV. et Bracharense II. relat. in *can. Placuit.* 25. *dist. cit.* mandant, ut quotannis Paschatis dies, quem tamen Pontifex Romanus præscripserat (*Innocent. PP. I.* ad *Aurelium Carthaginen.* ep. 10.) a Metropolitano cæteris denuntietur episcopis et diaconis : *Quod illi breviculo subnotantes*, ut aiunt Patres Bracharenses, l. c., vicissim populis, singuli in suis ecclesiis, *die Natalis Domini post evangelicam lectionem annuntient.* Atque huc etiam referuntur *cc. Paschæ.* 23. et *Placuit.* 24. *eodem,*

ac loco affigere sategerunt. Æquinoctio ergo duodecimum kalendas apriles seu martii 21. assignaverunt. Quod optima ratione, inquit *Lalamantius. de Anno*, eos fecisse judicabis, si perpenderis quarto quoque anno minuta 44. plus quam oportetin anno juliano intercalari, quum scilicet dies integer seu horæ 24. plenæ anno Bissextili inseruntur. Et quamquam 44. minuta quarto quoque anno superabundantia parvi momenti esse videantur, tanti tamen sunt, ut centesimo tricesimo primo quoque anno Æquinoctium in antecedentia rejiciant unius diei intervallo. Quum ergo Nicæna synodus animadvertisset, Julii Cæsaris tempore Æquinoctium vernum in diem 25. martii incidisse, ab illo vero tempore ad sua usque annos trecentos et amplius effluxisse, atque adeo æquinoctium vernum per tres fere dies retrocessisse in antecedentia, et a 25. martii in 22. ejusdem retrolapsum: illa et præterito jam tempori et parti etiam aliquotæ futuri prospicere studens, vero æquinoctio diem martii 21. assignavit.

Quod etiam *S. Ambrosius* confirmat in epistola jam citata, ubi postquam n. 10. docuit, *majores nostros in tractatu concilii Nicæni* propterea statuisse ut circulus decemnovennalis a primo mense seu a mense novorum inciperet atque in eum desineret, quia in eodem primum Pascha olim a Judæis celebratum est, hæc subdit : *Incipit autem* (primus) *mensis non secundum vulgarem usum, sed secundum consuetudinem peritorum ab Æquinoctio, qui dies est duodecimo kalendas aprilis et finitur undecimo kalendas maii.*

Notandum vero, æquinoctium — licet diei 21. martii affixum — sibi tamen duos exposcere dies. Supponamus enim æquinoctium juxta datum meridianum anno bissextili incidere 21. martii ipso tempore meridiei; anno sequenti eveniet 6 circiter horis serius, h. e. 21. martii circa solis occasum, quia in æquinoctio sol occidit 6 horis post medium diem; anno secundo post bissextilem æquinoctium eveniet

media nocte sequenti; et tertio anno incidet in 22. marti circa sextam horam matutinam: ac demum quarto anno, sive anno bissextili, redibit ad 21. martii tempore meridiano: itaque in perpetuo Christianorum Kalendario æquinoctium diei 21. martii intelligitur affixum.

TERMINUS PASCHALIS.

90. *Tria sunt præcipue*, inquit *S. Epiphanius adv. hær. lib. III. hær.* 70. *n.* 11., quibus Paschatis *celebritas alligatur* quæque proinde velut essentialiter ad illam pertinent. Hæc tria autem *lib. II. hær.* 50. *n.* 3, aperte ac distincte docet esse *quartam decimam lunam* (τεσσαρεσκαιδεκάτη τῆς σελήνης), *æquinoctium* (ἰσήμηρία) *et diem Dominicum* (κυριακή), singulorum rationem insuper ita declarans: *Ecclesia catholica quæ ad id mysterium celebrandum necessaria sunt undique contrahens et in unum conferens veritatem retinet. Nam non solum* quartam decimam diem *observat...*; *sed præter hanc lunæ XIV. diem etiam cursum solis adhibet, ne duplex in eumdum annum Pascha ita committatur, ut altero anno ne unum quidem habeatur. Quocirca XIV. illam diem sic tenemus, ut* æquinoctium *prætergrediamur; ac demum in sanctam* Dominicam *religiosissimi temporis finem conjicimus.* (*Edit. Migne op. tom.* 1. *pag.* 887.)

Quæ eadem, aliis licet verbis, Ambrosius tradit in *Epistola ad episcopos Æmiliæ jam citata.* In ea enim tanquam notum concessumque assumens, *Resurrectionis celebritatem die Dominica celebrari debere* (n. 9.), cætera, *quæ ad Pascha rite celebrandum necessaria sunt*, explicat his verbis: *Duo sunt observanda in solemnitate Paschæ, quarta decima luna et primus mensis, qui dicitur novorum*, quique juxta ejusdem S. Doctoris verba superius adducta *secundum consuetudinem peritorum ab Æquinoctio seu XII. kal. aprilis incipit.*

Tria igitur requiruntur ad rectam Paschatis celebritatem,

nimirum ut post quartam decimam lunam peragatur, ut Dominico die, ut denique proxime post Æquinoctium vernum sive primo mense, qui novorum dicitur.

91. Atqui tria hæc cognosci facile possunt ex Kalendario Gregoriano. Ergo dies Paschatis atque inde reliqua etiam mobilia festa ex Kalendario deprehenduntur.

Et ad *Æquinoctium vernum* quod spectat, illud Gregorius PP. XIII. in eamdem, quam Nicænæ synodi tempore tenebat, sedem revocavit, ac diei 21. martii ita affixit, ut ab eo non amplius sit retrolapsurum versus initium mensis.

Diem dominicum deinde ex litera habemus, quam eo anno Dominicalem esse cyclus solaris commonstrat.

Lunæ quartæ decimæ notitiam denique ex epacta currente deduci manifestum est. Quum enim novus cyclus Epactarum ab Aloysio Lilio conscriptus ad certam aurei numeri formam directus sit (sup. n. 62.), epacta, ex diagrammate superius n. 76. proposito inventa, indicabit in Kalendario singulos anni dies, quibus novilunia atque inde plenilunia contingent. Exemplo sit annus 1863. Ex canone epactarum n. 76. invenimus numerum epactalem esse 11. Ubicunque igitur Epactalis hic numerus 11 in Kalendario occurrit, ibi lunationum hujus anni designatur initium, nimirum 20. januarii ; 18. februarii ; 20. martii ; 18. aprilis ; 18. maii etc. Is vero *primus mensis* seu *mensis novorum* vocatur *cujus luna XIV. vel cadit in diem verni æquinoctii, vel propius ipsum sequitur*, ut habet *Proœmium* nostrum, quique proinde semper initium sumet inter diem 8. martii et 5. aprilis utrinque inclusive. Ab illo igitur die primus mensis lunaris hoc anno incipiet, cui intra spatium dictorum dierum (8. mart. et 5. april.) numerus epactalis 11 adscriptus est. Eum autem adscriptum invenimus diei 20. mensis martii. Ab hoc ergo, utpote a primo mensis primi lunaris, numera dies quatuordecim, scilicet usque ad diem 2 aprilis, et ipso hoc 2. die aprilis habebis lunam XIV primi mensis lunaris seu

lunam Paschalem et *Pascha Hebræorum*. Sequens dominica, quam litera dominicalis d quintam aprilis esse docet, dies Paschalis erit. Si vero dies ipse XIV lunæ in diem Dominicum cadit, proximus dies Dominicus erit Paschalis, *ne cum Judæis conveniamus* ut ait *Proœmium citat.*

Terminum Paschalem hisce versibus quoque inveniri posse tradit *Durand. Rat. lib VIII. c.* 12.

Post Nonas Martis ubi fit luna nova require,
Tertia lux Domini proxima Pascha tenet.

In controversiis computisticis de Paschate quæri et illud solet, *an Pascha celebrari possit in plenilunio, si in diem Dominicum incidat?*

92. Huic quæsito ut breviter satisfaciamus, notemus oportet, confundendam non esse lunam XIV. cum plenilunio sive oppositione. Quamvis enim scriptores sint, qui juxta vulgarem usum loquendi duo hæc non satis distinxerint, sed latiori quodam sensu pro iisdem habuerint, ut v. g. *Anatolius*, qui apud *Euseb. Hist. Eccles. lib.* VII. *c.* 32. ita loquitur: *In celebranda paschali festivitate* (Judæorum) *necessario id requiritur, ut non modo sol sed et luna segmentum æquinoctiale percurrat. Nam quum duo sint segmenta æquinoctialia, alterum vernum, alterum autumnale, eaque ex diametro sibi vicissim opposita: quumque quarta decima dies mensis ad vesperum paschali festo assignata sit, luna quidem ex adverso soli consistet, quemadmodum videre est in pleniluniis* (*Edit. Migne tom.* 2. *pag.* 730.); quamvis, inquam, aliqui scriptores lunam XIV. ab oppositione non distinxerint, ea tamen confundi non posse manisfestum est, ex iis quæ supra (n. 52.) de forma mensis lunaris ex Petavio scripsimus.

Et re quidem vera plenilunium sive oppositio sumitur vel astronomice, vel juxta cyclos in Kalendariis receptos; sed in utroque casu luna XIV. distinguitur a plenilunio.

Et ad plenilunium astronomicum quod spectat, quum

lunatio media sit 29 dierum, 12 horarum et 44 minut. manifestum est, plenilunium nunquam in lunam XIV., sed in XV. incidere.

Ad computum cyclorum quod pertinet, lunationes plenæ cavæque alternis dispositæ in iis sunt, h. e. alternatim sunt 30 et 29 dierum. Unde iterum plenilunium non in XIV. sed in XV. incidit.

Quibus ita præstitutis dicimus, Pascha celebrari in plenilunio posse, si in diem Dominicum incidat. Etenim sacris canonibus tantum cautum est, ne Pascha celebretur luna XIV. Atqui plenilunium non est luna XIV.; ergo celebrari potest, immo et debet in plenilunio si in diem Dominicum incidat.

93. *Usum cyclorum Paschalium* quod spectat, animadvertas, vulgo censere eruditos, Hippolytum episcopum primum omnium in Ecclesia fuisse, qui cyclos adhibuerit pro computando Paschate. *Hippolytus,* inquit *S. Hieronymus de viris illustribus c.* 61., *cujusdam Ecclesiæ episcopus, nomen quippe scire non potui, rationem Paschæ temporumqne canones scripsit usque ad primum annum Alexandri imperatoris, et sedecim annorum circulum, quem Græci* ἑκκαιδεκαετηρίδα *vocant, reperit, et Eusebio, qui super eodem Pascha canonem, decem et novem annorum circulum, id est* ἐννεαδεκαετηρίδα, *composuit, occasionem dedit.* (*Patrolog. latin. Edit. Migne, tom.* 23. *p.* 671. *op. S. Hieron. tom.* 2., ubi etiam vid. commentar. in difficiliores hujus loci sententias.)

Præcipuus error canonis Hippolyti in eo est, quod neomeniæ post 16 annos ad eosdem dies recurrere putentur. Cæteros ejusdem defectus vide declaratos a *Petav. lib.* II. *cap.* 61. *de Doctr. Temp.*

S. Cyrillus Alexandrinus in *Prologo Paschali* meminit cycli 84 annorum, quem tamen mendis non carere recte censet. Ipse vero cyclum Theophili breviavit et ad 95 annos redegit. (*Migne, Patrol. Græc. tom.* 77. *pag.* 386). Novus hic cyclus Alexandrinus illustratur a *Petav., l. c., c.* 77.

S. Dionysius Alexandrinus quoque canonem paschalem texuit, de quo *Euseb. lib.* VII *c.* 20. *Hist. Eccl.* hæc scribit: *Præter supradictas epistolas idem Dionysius Paschales illas quas habemus epistolas tunc temporis conscripsit: encomia in illis et panegyricos sermones de Paschali festo contexens. Harum unam Flavio nuncupavit; alteram Domitio et Didymo. In qua probans, festum Paschæ diem nonnisi post æquinoctium vernum celebrari oportere, octo annorum canonem publicavit,* κανόνα ἐκτίθεται ὀκταετηρίδος. (*Migne, Patrol. Græc. tom.* 20. *pag.* 682.)

Anatolium etiam de Paschate scripsisse, ex S. Hieronymo habemus. *Anatolius Alexandrinus,* inquit, *Laodiceæ Syriæ episcopus, sub Probo et Caro imperatoribus floruit. Miræ doctrinæ vir fuit in arithmetica, geometrica, astronomia, grammatica, rhetorica, dialectica. Cujus ingenii magnitudinem de volumine, quod super Pascha composuit et decem libris de arithmeticæ institutionibus intelligere possumus.* (*De Viris illust. c.* 73.) Adhibitum vero ab Anatolio fuisse cyclum decemnovennalem ex *Euseb. H. E. lib.* V. notat *Petav. l.* VI. *cap.* 1.

RELIQUA FESTA MOBILIA.

94. De ratione festorum mobilium per annum præter *Durand. Rational. lib.* VI. *Beleth. Rational. c.* 56 *seqq.* aliosque tum veteres tum recentiores rerum liturgicarum tractatores, legi possunt plures epistolæ *Alcuini* et *Caroli Magni* de festis mobilibus scriptæ: utputa *Alcuini epistola* 80. ad imperatorem *de Ratione Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ,* quam *Migne* exhibet *Op. Alcuini tom.* 1. *pag.* 259.; item *Caroli Magni* responsoria ad Alcuinum (*epist.* 81. *l. c. pag.* 263), ac demum epistola sequenti numero (*l. c. pag.* 266.) posita, per quam Alcuinus ad præcedentem epistolam Caroli respondet; collatis etiam iis, quæ anonymus quidam de eadem quæstione scribit in epistola de Septuagesimo, Sexagesimo et Quinquagesimo, quæ habetur in editione *Migne Op.* Alcuini *tom.* 2. *pag.* 1320.

Ex adductis aliisque ejus generis opusculis pro commentarii nostri instituto hæc animadvertisse sufficiat, ut festa mobilia ad sua quæque tempora singulis annis referantur. Ante omnia habenda est ratio Paschatis, *ex quo*, ut Proœmium ait, *reliqua festa mobilia pendent* (1). Ante Pascha numeratur per sex hebdomades tempus quadragesimale cujus dies Dominici vocantur *Palmarum, Judica, Lætare, Oculi, Reminiscere, Invocavit* (*Durand. Rat. l. c. c.* 38. *seqq.* et *Beleth. Rat.* c. 77.); ascendendo adhuc per hebdomadem pervenimus ad *Dominicam Quinquagesimæ* et feriam IV. ejus hebdomadis *diem Cinerum* (*Durand, l. c.* 27. *c. seq.*). Hebdomadam Quinquagesimæ præcedit *Dominica Sexagesimæ* (*id. c.* 26.), hanc *vero Dominica Septuagesimæ* (*id. c.* 25,). Dies octava Paschæ nomen sortitur *Dominicæ in Albis* (*id. c.* 97.), post quam numerantur quinque hebdomades, in quarum ultima occurrunt *dies Rogationum* (*id. c.* 102.) et feria V. festum *Ascensionis Domini* (*id. c.* 104.). Sextam hebdomadam excipit Dominica *Pentecostes* (*id. c.* 107.), octavo post die festum *SS. Trinitatis* (*id. c.* 114.) et feria V. proxime sequenti festum *Corporis Christi* (2). A Dominica Pentecostes numeris distinguuntur Dominicæ usque ad *Adventum Domini* (*id. c.* 115. *seqq.*); *Adventus* autem—verba sunt Proœmii—*celebratur semper die Dominico, qui propinquior est festo sancti Andreæ Apostoli, nempe a die* 27. *novembris inclusive usque ad diem* 3. *decembris inclusive, ita ut litera dominicalis currens, quæ reperitur a die* 27. *novembris usque ad diem* 3. *decembris, indicet Dominicam* (primam) *Adventus*, quod hoc anno 1864. ad diem 27. novembris contingit. De celebratione *quatuor temporum*, quæ plerumque ad festa mobilia refertur, disseruimus supra *cap.* III. *n.* 68.

(1) *Pascha Christianorum omnium solemnium caput ac* μητρόπολις *quædam festorum semper est habitum*, teste *Petavio de Doctrin. Temp. lib.* VII. c. 6.

(2) De hoc festo habetur *Clement. si Dominum. un. de reliquiis et venerat. sanctorum.*

25 Si in tabulis paschalibus Breviarii quærantur *festa mobilia in Annis bissextilibus, invenienda sunt*, ait Prooemium, *per literam dominicalem posteriorem : ita tamen ut Septuagesimæ et diei Cinerum inventæ in januario ant februario addatur unus dies. Quod si dies cadat in martium, nihil addendum est*.

Quamvis igitur in annis bissextilibus festa mobilia, quæ ante 25 februarii occurrunt (forte Septuagesima et dies cinerum) in Kalendario inveniantur per literam dominicalem priorem (sup. n. 79.), in tabulis Paschalibus tamen quærenda sunt per literam posteriorem, et ita quidem, ut Septuagesimæ et diei Cinerum inventæ in januario aut februario addatur unus dies. Sic annus 1864., qui nunc excurrit, bissextilis est habetque literas dominicales c b. Si Septuagesimam et diem Cinerum investiges in Kalendario, prior litera dominicalis c designabit Dominicam Septuagesimæ 24. januarii, et feria IV. occurrens 10. februarii prodet diem Cinerum; dies Paschatis autem cadet in 27. martii, cui tributa est litera b. Si eadem festa contra investigare velis in tabulis paschalibus Prooemio adjectis, quærenda omnia erunt per literam dominicalem posteriorem b. In iis autem reperies e regionæ literæ b diem 23. januarii pro Dominica Septuagesimæ et 9. februarii pro feria IV. Cinerum. Addendus ergo utrinque dies, et computandus dies 24. januarii pro Dominica Septuagesimæ et dies 10. februarii pro die Cinerum.

DE TABULIS PASCHALIBUS BREVIARIO PRÆFIXIS.

96. Duabus tabulis paschalibus Breviarii præmittendam duximus *tabulam antiquam Paschatis*, h. e. tabulam illam, quæ perpetua erat pro supputatione Paschatis juxta antiquum Kalendarium tum ante illius reformationem, tum etiam nunc apud illos populos, qui novum hactenus non receperunt : ita clarius intelligetur utriusque Kalendarii relatio et error antiqui.

Constat autem tribus columnis verticalibus, in quarum *prima* sunt *numeri aurei*, in *secunda literæ dominicales*, in tertia *dies* omnes, *quibus Pascha* — positis ponendis — *celebrari potest* qui dies sunt numero 35, nempe a 22. martii usque ad 25. aprilis inclusive. Vacuus relictus est locus 21. martii quia Pascha nunquam incidere in eum diem potest.

Prima columna, quæ continet numeros aureos, eos tamen non exhibet iisdem diebus adscriptos, quibus in Kalendario tribuuntur; affixi enim illis diebus sunt, quibus cum respectivis numeris aureis incidunt *lunæ quartæ decimæ*. Sic numerus aureus 5 positus juxta 22. martii ostendit, lunam XIV. incidere in 22. martii dum num. aur. est 5. Quoniam vero in antiquo Kalendario numeri aurei tributi non sunt singulis diebus, manifestum est plures dies luna XIV. carere debere. In tabula proposita loci illi vacui adimpleti sunt eodem numero aureo repetito. Antiquæ tabulæ erroneæ correctionem exhibet altera *tabula Paschalis antiqua reformata* Breviarii. Addita in ea est columna cycli epactarum Gregorianarum, ut adeo v. g. aureus numerus 5. non amplius indicet lun. XIV. nisi concurrat cum epacta 22, quæ eidem e regione collocatur.

Cyclus epactarum reformatæ hujus tabulæ ita dispositus est, ut epactæ quoque indicent lunas XIVas, unde Dominica sequenti, indicata per respectivas literas dominicales, celebrabitur Pascha. Hinc eruitur, in secunda tabula inveniri posse diem Paschatis ex solis epactis sive numeris aureis, ex numeris aureis vero sine epactis non posse. Epactæ quippe eisdem numeris aureis non semper respondent. Compositionem tertiæ tabulæ h. e. *tabulæ paschalis novæ reformatæ* disces ex ipso ejus usu incipiendo a primo die, in quem cadere Pascha potest. Quid ergo requiritur, ut Pascha incidat in 22. martii? *R.* Ultra literam dominicalem *d* currat necesse est epacta 23. Nimirum epacta hæc 23 juxta 8. martii posita indicat novilunium incidere in 8. martii;

huic si 13 dies addideris, luna XIV. erit 21. martii. Est autem hæc luna paschalis; ergo currente lit. dominicali *d* Pascha celebrabitur 22. martii (1).

Jam ut Pascha veniat integra hebdomada serius sive 29. martii, patet, eamdem literam dominicalem *d* iterum requiri, quoad lunam XIV. autem perinde futurum, utrum ea incidat in dominicam antecedentem, h. e. in diem 22. martii, vel in feriam II., III., etc. usque ad sabbatum inclusive. Hoc autem fit cum quacumque ex septem illis epactis (22, 21, 20, etc.), quas juxta diem 29. martii positas vides. Atque ita porro ratiocinare circa reliquos dies, qui omnes eamdem literam dominicalem habent et integra hebdomada a se invicem distant.

Cætera, quæ ad usum tabularum Paschalium necessaria sunt, satis declarata vide in ipso Procemio Breviarii.

TABULA ANTIQUA PASCHALIS.

Nom. Aur.	Lit. Dom.	PASCHA.	Nom. Aur.	Lit. Dom.	PASCHA.
16				g	8 Aprilis
5	d	22 Martii	9	A	9
5	e	23	17	b	10
13	f	24	6	c	11
13	g	25	6	d	12
2	A	26	14	e	13
10	b	27	3	f	14
10	c	28	3	g	15
18	d	29	11	A	16
7	e	30	11	b	17
7	f	31	19	c	18
15	g	1 Aprilis	8	d	19
4	A	2		e	20
4	b	3		f	21
12	c	4		g	22
1	d	5		A	23
1	e	6		b	24
9	f	7		c	25

(1) Rarissimus iste casus, quo duæ requisitæ conditiones epactæ 23. et literæ dominicalis *d* concurrunt, evenit anno 1818'; inde vero usque ad annum 2285. non amplius redibit.

TABULA PASCHALIS

AN.		CYCLUS EPACT.	Lit. Dom.	SEPTUAG.	DIES CIN.	PASCHA.
				Jan.	Feb.	Mart.
16		XXIII	d	18	4	22
5		XXII	e	19	5	23
		XXI	f	20	6	24
13		XX	g	21	7	25
2		XIX	a	22	8	26
		XVIII	b	23	9	27
10		XVII	c	24	10	28
		XVI	d	25	11	29
18		XV	e	26	12	30
7		XIV	f	27	13	31
		XIII	g	28	14	1 Apr.
15		XII	a	29	15	2
4		XI	b	30	16	3
		X	c	31	17	4
12		IX	d	1 Febr.	18	5
1		VIII	e	2	19	6
		VII	f	3	20	7
9		VI	g	4	21	8
		V	a	5	22	9
17		IV	b	6	23	10
6		III	c	7	24	11
		II	d	8	25	12
14		I	e	9	26	13
3		*	f	10	27	14
		XXIX	g	11	28	15
11		XXVIII	a	12	1 Mart.	16
		XXVII	b	13	2	17
19	25	XXVI	c	14	3	18
8	XXV	XXV	d	15	4	19
			e	16	5	20
			f	17	6	21
			g	18	7	22
			a	19	8	23
			b	20	9	24
			c	21	10	25

ANTIQUA REFORMATA.

ASCENSIO.	PENTECOST	CORP. CHRISTI.	DOM. Post. Pentec.	DOM. I ADV.
April.	Maji.	Maji.		
30	10	21	28	29. Nov.
1. Maj.	11	22	28	30.
2	12	23	28	1. Decemb.
3	13	24	28	2.
4	14	25	28	3.
5	15	26	27	27. Nov.
6	16	27	27	28.
7	17	28	27	29.
8	18	29	27	30.
9	19	30	27	1. Decemb.
10	20	31	27	2.
11	21	1. Jn.	27	3.
12	22	2	26	27. Nov.
13	23	3	26	28.
14	24	4	26	29.
15	25	5	26	30.
16	26	6	26	1. Dec.
17	27	7	26	2.
18	28	8	26	3.
19	29	9	25	27. Nov.
20	30	10	25	28.
21	31	11	25	29.
22	1. Jun.	12	25	30.
23	2	13	25	1. Dec.
24	3	14	25	2.
25	4	15	25	3.
26	5	16	24	27. Nov.
27	6	17	24	28.
28	7	18	24	29.
29	8	19	24	30.
30	9	20	24	1. Decemb.
31	10	21	24	2.
1. Jun.	11	22	24	2.
2	12	23	23	27. Nov.
3	13	24	23	28.

TABULA PASCHALIS

	CYCLUS EPACTARUM.	Septuages.	Dies. cin.
D	23.	18. Jan.	4. Feb.
	22. 21. 20. 19. 18. 17. 16.	25. Jan.	11. Feb.
	15. 14. 13. 12. 11. 10. 9.	1. Feb.	18. Feb.
	8. 7, 6. 5. 4. 3. 2.	8. Feb.	25. Feb.
	1. ★. 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	15. Feb.	4. Mart.
E	23. 22.	19. Jan.	5. Feb.
	21. 20. 19. 18. 17. 16. 15.	26. Jan.	12. Feb.
	14. 13. 12. 11. 10. 9. 8.	2. Feb.	19. Eeb.
	7. 6. 5. 4. 3. 2. 1.	9. Feb.	26. Feb.
	★. 29. 28. 27. 26. XXV. 25. 24.	16. Feb.	5. Mart.
F	23. 21. 22.	20. Jan.	6. Feb.
	20. 19. 18. 17. 16. 15. 14.	27. Jan.	13. Feb.
	13. 12. 11. 10. 9. 8. 7.	3. Feb.	20. Feb.
	6. 5. 4. 3. 1. ★.	10. Feb.	27. Feb.
	29. 28. 27. 26. XXV. 25. 21.	17. Feb.	6. Mart.
G	23. 22. 21. 20.	21. Jan	7. Feb.
	19. 18. 17. 16. 15. 14. 13.	28. Jan.	14. Feb.
	12. 11. 10. 9. 8. 7. 6.	4. Feb.	21. Feb.
	5. 4. 4. 3. 2. 1. ★. 29.	11. Feb.	28. Feb.
	28. 27. 26. XXV. 25. 24.	18. Feb.	7. Mart.
A	23. 22. 21. 20. 19.	22. Jan.	8. Feb.
	18. 17. 16. 15. 14. 13. 12.	29. Jan.	15. Eeb.
	11. 10. 9. 8. 7. 6. 5.	5. Feb	22. Feb.
	4. 3. 2. 1. ★. 29. 28.	12. Feb.	1. Mart.
	27. 26. XXV. 25. 24.	19. Feb.	8. Mart.
B	23. 21. 20. 19. 18.	23. Jan.	9. Feb.
	17. 16. 15. 14. 13. 12. 11.	30. Jan.	16. Feb.
	10. 9. 8. 7. 6. 5. 4.	6. Feb.	23. Feb.
	3. 2. 1. ★. 29. 28. 27.	13. Feb.	2. Mart.
	26. XXV. 25. 24.	20. Feb.	9. Mart.
C	23. 22. 21. 20. 19. 18. 17.	24. Jan.	10. Feb.
	16. 15. 14. 13. 12. 11. 10.	31. Jan.	17. Feb.
	9. 8. 7. 6. 5. 4. 3.	7. Feb.	24. Feb.
	2. 1. ★. 29. 28. 27. 26. XXV.	14. Feb.	3. Mart.
	25. 24.	21. Feb.	10. Mart.

NOVA REFORMATA.

PASCHA.	ASCENSIO.	PENTECOST.	Corp. Christi.	DOM. Post Pentecost.	Dom. I Advent.
22. Mart.	30. Apr.	10. Maj.	21. Maj.	28	29. Nov.
29. Mart.	7. Maj.	17. Maj.	28. Maj.	27	29.
5. Apr.	14. Maj.	24. Maj.	4. Jun.	26	29.
12. Apr.	21. Maj.	31. Maj.	11. Jun.	25	29.
19. Apr.	28. Maj.	7. Jun.	18. Jun.	24	29.
23. Mart.	1. Maj.	11. Maj.	22. Maj.	28	30. Nov.
30. Mart.	8. Maj.	18. Maj.	29. Maj.	27	30.
6. Apr.	15. Maj.	25. Maj.	5. Jun.	26	30.
13. Apr.	22. Maj.	1. Jun.	12. Jun.	25	30.
20. Apr.	29. Maj.	8. Jun.	19. Jun.	24	30.
24. Mart.	2. Maj.	12. Maj.	23. Maj.	28	1. Dec.
31. Mart.	9. Maj.	9. Maj.	30. Maj.	27	1.
7. Apr.	16. Maj.	26. Maj.	6. Jun.	26	1.
14. Apr.	23. Maj.	2. Jun.	13. Jun.	25	1.
21. Apr.	30. Maj.	9. Jun.	20. Jun.	24	1.
25. Mart.	3. Maj.	13. Maj.	24. Maj.	28	2. Dec.
1. Apr.	10. Maj.	20. Maj.	31. Maj.	27	2.
8. Apr.	17. Maj.	27. Maj.	7. Jun.	26	2.
15. Apr.	24. Maj.	3. Jun.	14. Jun.	25	2.
22. Apr.	31. Maj.	10. Jun.	21. Jun.	24	2.
26. Mart.	4. Maj.	14. Maj.	25. Maj.	28	3. Dec.
2. Apr.	11. Maj.	21. Maj.	1. Jun.	27	3.
9. Apr.	18. Maj.	28. Maj.	8. Jun.	26	3.
16. Apr.	25. Maj.	4. Jun.	15. Jun.	25	3.
23. Apr.	1. Jun.	11. Jun.	22. Jun.	24	3.
27. Mart.	5 Maj.	15. Maj.	26. Maj.	27	27. Nov.
3. Apr.	12. Maj.	22. Maj.	2. Jun.	26	27.
10. Apr.	19. Maj.	29. Maj.	9. Jun.	25	27.
17. Apr.	26. Maj.	5. Jun.	16. Jun.	24	27.
24. Apr.	2. Jun.	12. Jun.	23. Jun.	23	27.
28. Mart.	6. Maj.	16. Maj.	27. Maj.	27	28. Nov.
4. Apr.	13. Maj.	23. Maj.	3. Jun.	26	28.
11. Apr.	20. Maj.	30. Maj.	10. Jun.	25	28.
18. Apr.	27. Maj.	6. Jun.	17. Jun.	24	28.
25. Apr.	3. Jun.	13. Jun.	24. Jun.	23	28.

NUM. AUR. KALENDARII ANTIQUI

JAN.		FEB.		MART.		APRIL.		MAJ.		JUN.	
Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.
1.	3	1.		1.	3	1.		1.	11	1.	
2.		2.	11	2.		2.	11	2.		2.	19
3.	11	3.	19	3.	11	3.		3.	19	3.	8
4.		4.	8	4.		4.	19	4.	8	4.	16
5.	19	5.		5.	19	5.	8	5.		5.	5
6.	8	6.	16	6.	8	6.	16	6.	16	6.	
7.		7.	5	7.		7.	5	7.	5	7.	13
8.	16	8.		8.	16	8.		8.		8.	2
9.	5	9.	13	9.	5	9.	13	9.	13	9.	
10.		10.	2	10.		10.	2	10.	2	10.	10
11.	13	11.		11.	13	11.		11.		11.	
12.	2	12.	10	12.	2	12.	10	12.	10	12.	18
13.		13.		13.		13.		13.		13.	7
14.	10	14.	18	14.	10	14.	18	14.	18	14.	
15.		15.	7	15.		15.	7	15.	7	15.	15
16.	18	16.		16.	18	16.		16.		16.	4
17.	7	17.	15	17.	7	17.	15	17.	15	17.	
18.		18.	4	18.		18.	4	18.	4	18.	12
19.	15	19.		19.	15	19.		19.		19.	1
20.	4	20.	12	20.	4	20.	12	20.	12	20.	
21.		21.	1	21.		21.	1	21.	1	21.	9
22.	12	22.		22.	12	22.		22.		22.	
23.	1	23.	9	23.	1	23.	9	23.	9	23.	17
24.		24.		24.		24.		24.		24.	6
25.	9	25.	17	25.	9	25.	17	25.	17	25.	
26.		26.	6	26.		26.	6	26.	6	26.	14
27.	17	27.		27.	17	27.		27.		27.	3
28.	6	28.	14	28.	6	28.	14	28.	14	28.	
29.				29.		29.	3	29.	3	29.	11
30.	14			30.	14	30.		30.		30.	
31.	3			31.	3			31.	11		

NUM. AUR. KALENDARII ANTIQUI.

JUL.		AUG.		SEPT.		OCTOB.		NOVEMB.		DECEMB.	
Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.	Dies Mensis.	Num. Aur.
1.	19	1.	8	1.	16	1.	16	1.		1.	13
2.	8	2.	16	2.	5	2.	5	2.	13	2.	2
3.		3.	5	3.		3.	13	3.	2	3.	
4.	16	4.		4.	13	4.	2	4.		4.	10
5.	5	5.	13	5.	2	5.		5.	10	5.	
6.		6.	2	6.		6.	10	6.		6.	18
7.	13	7.		7.	10	7.		7.	18	7.	7
8.	2	8.	10	8.		8.	18	8.	7	8.	
9.		9.		9.	18	9.	7	9.		9.	15
10.	10	10.	18	10.	7	10.		10.	15	10.	4
11.		11.	7	11.		11.	15	11.	4	11.	
12.	18	12.		12.	15	12.	4	12.		12.	12
13.	7	13.	15	13.	4	13.		13.	12	13.	1
14.		14.	4	14.		14.	12	14.	1	14.	
15.	15	15.		15.	12	15.	1	15.		15.	9
16.	4	16.	12	16.	1	16.		16.	9	16.	
17.		17.	1	17.		17.	9	17.		17.	17
18.	12	18.		18.	9	18.		18.	17	18.	6
19.	1	19.	9	19.		19.	17	19.	6	19.	
20.		20.		20.	17	20.	6	20.		20.	14
21.	9	21.	17	21.	6	21.		21.	14	21.	3
22.		22.	6	22.		22.	14	22.	3	22.	
23.	17	23.		23.	14	23.	3	23.		23.	11
24.	6	24.	14	24.	3	24.		24.	11	24.	19
25.		25.	3	25.		25.	11	25.	19	25.	
26.	14	26.		26.	11	26.	19	26.		26.	8
27.	3	27.	11	27.	19	27.		27.	8	27.	
28.		28.	19	28.		28.	8	28.		28.	16
29.	11	29.		29.	8	29.		29.	16	29.	5
30.	19	30.	8	30.		30.	16	30.	5	30.	
31.		31.				31.	5			31.	13

KALENDARIUM ECCLESIASTICUM

QUO ECCLESIA A CONCILIO NICÆNO USQUE AD GREGORIANAM ANNI CORRECTIONEM USA EST.

Explicata ob oculos numerorum aureorum serie in Kalendario Juliano, jam ipse per se describere antiquum Kalendarium poterit computi studiosus. Primum ejus mensem in exemplum exhibuisse satis habemus. Sic itaque digestus in antiquo Kalendario ecclesiastico erat mensis

JANUARIUS.

AUR. NUM.	Lit. Dom		Dies mensis.	AUR. NUM.	Lit. Dom		Dies mensis.
III	A	Kal.	1	VII	c	xvj	17
	b	iv	2		d	xv	18
XI	c	iij	3	XV	e	xiv	19
	d	Prid.	4	IV	f	xiij	20
XIX	e	Non.	5		g	xij	21
VIII	f	viij	6	XII	A	xj	22
	g	vij	7	I	b	x	23
XVI	A	vj	8		c	ix	24
V	b	v	9	I	d	viij	25
	c	iv	10		e	vij	26
XIII	d	iij	11	XVII	f	vj	27
II	e	Prid.	12	VI	g	v	28
	f	Idib.	13		A	iv	29
X	g	xix	14	XIV	b	iij	30
	A	xviij	15	III	c	Prid	31
XVIII	b	xvij	16				

JANUARIUS.

CYCLUS EPACT.	Litteræ Dom.		Dies Mensis	
*	A	Kal.	1	CIRCUMCISIO DOMINI. dnplex.
xxix	b	iiij	2	Octava S. Stephani. duplex. cnm commun. Octavarnm.
xxviij	c	iij	3	Oct. S. Joannis Apostoli. duplex cum comm. Oct. sanctor. Innocentium.
xxvij	d	Prid.	4	Octava SS. Innocentium. duplex.
xxvi	e	Non.	5	Vigilia Epiphaniæ. semid. cum comm. S. Telesphori Papæ et Martyris.
xxv	f	viij	6	EPIPHANIA DOMINI. duplex.
25. xxiiij	g	vij	7	De Octava Epiphaniæ.
xxiij	A	vi	8	De Octava.
xxij	b	v	9	De Octava.
xxj	c	iiij	10	De Octava.
xx	d	iij	11	De Octava. et comm. S. Hygini Papæ et martyris.
xix	e	Prid.	12	De Octava.
xviij	f	Idib	13	Octava Epiphaniæ. duplex.
				Dominica ij. post Epiphaniam. Festum SS. Nominis JESU. duplex.
xvij	g	xix	14	Hilarii Episcopi et Conf. dup. cum Comm. S. Felicis Presb. et Martyris.
xvj	A	xviij	15	Pauli primi Eremitæ duplex. cum comm. S. Mauri Abbatis.
xv	b	xvij	16	Marcelli Papæ et Martyris. semid.
xiiij	c	xvj	17	Antonii Abbatis. duplex.
xiij	d	xv	18	Cathedra S. Petri Romæ. duplex. et comm. S. Priscæ Virginis et Mart.
xij	e	xiiij	19	S. Canuti, Regis et Martyris, semid. ad libit. cum Commun. SS. Marii, Matthæ, Andifacis et Abach. mart.
xj	f	xiij	20	Fabiani et Sebastiani Mart. duplex.
x	g	xij	21	Agnetis Virginis et Mart. duplex.
ix	A	xj	22	Vincentii et Anastasii Mart. semid.
viij	b	x	23	Raymundi de Penafort Confess. semid. cum Comm. S. Emerentianæ Virginis et Mart.
vij	c	ix	24	Timothei Episcopi et Mart. dup.
vj	d	viij	25	Conversio S. Pauli Apostoli. duplex.
v	e	vij	26	Polycarpi Episcopi et mart. dup.
iiij	f	vj	27	Joannis Chrysostomi Episc. Conf. et Ecclesiæ Doct. dup. Agnetis secundo.
iij	g	v	28	
ij	A	iiij	29	Francisci Salesii Episc. et Conf. duplex.
i	b	iij	30	Martinæ Virginis et Martyris. semid.
*	c	Prid.	31	Petri Nolasci Confessoris. duplex.

FEBRUARIUS.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xxix	d	Kal.	1	Ignatii Episc. et Mart. dup.
xxviij	e	iv	2	Purificatio B. M. V. dup. 2. cl.
xxvij	f	iij	3	Blasii Episcopi et Martyris.
25. xxvj	g	Prid.	4	Andreæ Corsini Ep. et Conf. duplex.
xxv. xxiv	A	Non.	5	Agathæ Virg. et Mart. dup.
xxiii	b	viij	6	Dorotheæ Virg. et Mart.
xxij	c	vij	7	Romualdi Abbatis. dup.
xxj	d	vj	8	Joannis de Matha Conf. dup.
xx	e	v	9	Apolloniæ Virg. et Mart.
xix	f	iv	10	Scholasticæ Virginis. dup.
xviij	g	iij	11	
xvij	A	Prid.	12	
xvj	b	Idib.	13	
xv	c	xvj	14	Valentini Presb. et Mart.
xiv	d	xv	15	Faustini et Jovitæ Mart.
xiij	e	xiv	16	
xij	f	xiij	17	
xj	g	xij	18	Simeonis Episc. et Mart.
x	A	xj	19	
ix	b	x	20	
viij	c	ix	21	
vij	d	viij	22	Cathedra S. Petri Antiochiæ. duplex majus.
vj	e	vij	23	Petri Damiani Episc., Conf. et Doct. dup. Comm. Vig.
v	f	vj	24	Mathiæ Apostoli. dup. 2. cl.
iv	g	v	25	
iij	A	iv	26	
ij	b	iij	27	
j	c	Prid.	28	

In anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Mathiæ celebratur 25 Februarii, et bis dicitur Sexto Kalendas, id est die 24 et die 25, et littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutatur in præcedentem : ut, si in Januario Littera Dominicalis fuerit A, mutatur in præcedentem, quæ est g, etc., et Littera f bis servit 24 et 25.

MARTIUS.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
*	d	Kal.	1	
xxix	e	vj	2	
xxviij	f	v	3	
xxvij	g	iv	4	Casimiri Conf. semid. Comm. S. Lucii Papæ et Mart.
xxvj	A	iij	5	
25. xxv	b	Prid.	6	
xxiv	c	Non.	7	Thomæ de Aquino Conf. et Doc. dup. Com. SS. Perpetuæ et Felicitatis Mart.
xxiij	d	viij	8	Joannis de Deo Conf. dup.
xxij	e	vij	9	Franciscæ Viduæ. dup.
xxj	f	vj	10	Quadraginta Mart. semid.
xx	g	v	11	
xix	A	iv	12	Gregorii Papæ, Conf. et Doct. duplex. * Feria vj. post Dom. Passionis. Festum Septem Dolorum B. M. V. dup. maj.
xviij	b	iij	13	
xvij	c	Prid.	14	
xvj	d	Idib.	15	
xv	e	xvij	16	
xiv	f	xvj	17	Patritii Episc. et Conf. dup.
xiij	g	xv	18	
xij	A	xiv	19	Joseph Confessoris. dup. 2. cl.
xj	b	xiij	20	
x	c	xij	21	Benedicti Abbatis. dup.

ÆQUINOCTIUM VERNALE.

ix	d	xj	22	
viij	e	x	23	
vij	f	ix	24	
vj	g	viij	25	Annunt. B. M. V. dup. 2. cl.
v	A	vij	26	
iv	b	vj	27	
iij	c	v	28	
ij	d	iv	29	
j	e	iij	30	
*	f	Prid.	31	

APRILIS.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xxix	g	Kal.	1	
xxviij	A	iv	2	Francisci de Paula Conf. dup.
xxvij	b	iij	3	
25. xxvj	c	Prid.	4	Isidori Ep., Conf. et Doct. dup.
xxv. xxix	d	Non.	5	Vincentii Ferr. Conf. duplex.
xxiij	e	viij	6	
xxij	f	vij	7	
xxj	g	vj	8	
xx	A	v	9	
xix	b	iv	10	
xviij	c	iij	11	Leonis Papæ, Conf. et Doct. duplex.
				* Dom. iij. post Pasch. Festum Patrocinii S. Joseph. dup. 2. cl.
xvij	d	Prid.	12	
xvj	e	Idib.	13	Hermenegildi Mart. semiduplex.
xv	f	xviij	14	Tiburtii, Valeriani et Maximi Martyrum.
xiv	g	xvij	15	
xiij	A	xvj	16	
xij	b	xv	17	Aniceti Papæ et Martyris.
xj	c	xiv	18	
x	d	xiij	19	
ix	e	xij	20	
viij	f	xj	21	Anselmi Episc., Conf. et Doct. duplex.
vij	g	x	22	Soteris et Caji Pont. et MM. semiduplex.
vj	A	ix	23	Georgii Mart. semiduplex.
v	b	viij	24	Fidelis a Sigm. Mart. duplex.
iv	c	xij	25	Marci Evangelistæ. dup. 2. cl.
iij	d	vj	26	Cleti et Marcellini Pont. et Mart. semiduplex.
ij	e	v	27	
j	f	iv	28	Vitalis Mart.
*	g	iij	29	Petri Mart. duplex.
xxix	A	Prid.	30	Catharinæ Sen. Virg. duplex.

MAJUS.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xxviij	b	Kal.	1	Philippi et Jacobi Ap. d. 2. cl.
xxvij	c	vj	2	Athanasii Ep. C. et Doct. dup.
xxvj	d	v	3	Inventio S. Crucis. dup. 2. cl. Com. S. Alexandri, etc., Mart. ac Juvenalis Episc. et Conf.
25. xxv	e	iv	4	Monicæ Viduæ. dup.
xxiv	f	iij	5	Pii V. Papæ et Conf. duplex.
xxiij	g	Prid.	6	Joannis ante Port. Lat. d. m.
xxij	A	Non.	7	Stanislai Ep. et Mart. duplex.
xxj	b	viij	8	Apparitio S. Michælis Archangeli. d. m.
xx	c	vij	9	Gregorii Naz. Ep. C. et D. dup.
xix	d	vj	10	Antonini Ep. et C. dup. Com. SS. Gordiani et Epimachi MM.
xviij	e	v	11	
xvij	f	iv	12	Nerei, Achillei, Domitillæ Virg. atque Pancratii Mart. semid.
xvj	g	iij	13	
xv	A	Prid.	14	Bonifacii Martyris.
xiv	b	Idib.	15	
xiij	c	xvij	16	Ubaldi Episc. Conf. semid.
xij	d	xvj	17	Paschalis Baylon Conf. dup.
xj	e	xv	18	Venantii Martyris. dup.
x	f	xiv	19	Petri Cœl. Papæ et Conf. dup. Com. S. Pudentianæ Virg.
ix	g	xiij	20	Bernardini Senensis Conf. sem.
viij	A	xij	21	
vij	b	xj	22	
vj	c	x	23	
v	d	ix	24	
iv	e	viij	25	Gregorii VII. Papæ et C. dup. Com. S. Urbani Papæ et M.
iij	f	vij	26	Philippi Nerii Conf. dup. Com. S. Eleutherii Papæ at Mart.
ij	g	vj	27	Mariæ Magdalenæ de Paz. Virg. sem. Com. S. Joannis P. et M.
j	A	v	28	
	b	iv	29	
xxix	c	iij	30	Felicis Papæ et Martyris.
xxviij	d	Prid.	31	Petronillæ Virginis.

* Fer. vj. post Oct. Corp. Christi. Festum SS. Cordis Jesu. d. m.

JUNIUS.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xxvij	e	Kal.	1	
25. xxvj	f	iv	2	Marcellini, Petri, atque Erasmi Martyrum.
xxv. xxiv	g	iij	3	
xxiij	A	Prid.	4	Francisci Caracc. Conf. dupl.
xxij	b	Non.	5	
xxj	c	viij	6	Norberti Episc. et Conf. dupl.
xx	d	vij	7	
xix	e	vj	8	
xviij	f	v	9	Primi et Feliciani Martyrum.
xvij	g	iv	10	Margaritæ Reginæ Scot. sem.
xvj	A	iij	11	Barnabæ Apostoli. dup. maj.
xv	b	Prid.	12	Joannis a S. Facundo Conf. dup. Com. SS. Basilidis, etc.
xiv	c	Idib.	13	Antonii de Padua Conf. dup.
xiij	d	xviij	14	Basilii Magni Episc., Conf. et Doct. dup.
xij	e	xvij	15	Viti, Modesti atque Crescentiæ Martyrum.
xj	f	xvj	16	
x	g	xv	17	
ix	A	xiv	18	Marci et Marcelliani Mart.
viij	b	xiij	19	Julianæ de Falconeriis Virg. duplex. Comm. SS. Gervasii et Protasii Martyrum.
vij	c	xij	20	Silverii Papæ et Martyris.

SOLSTITIUM ÆSTIVUM.

vj	d	xj	21	Aloysii Gonzagæ Conf. dup.
v	e	x	22	Paulini Episc. et Conf.
iv	f	ix	23	Vigilia.
iij	g	viij	24	Nativitas S. Joannis Baptistæ. dup. 1 classis.
ij	A	vij	25	Gulielmi Abb. dup. Com. Oct.
j	b	vj	26	Joannis et Pauli Mart. dupl. Comm. Oct.
*	c	v	27	De Oct. Nativit. S. Joannis.
xxix	d	iv	28	Leonis Papæ et Conf. semid. Comm. Oct. et Vigiliæ.
xxviij	e	iij	29	Petri et Pauli Apost. dup. 1. cl.
xxvij	f	Prid.	30	Com. S. Pauli Apostoli. dup. cum Commem. S. Petri et Oct. S. Joannis.

JULIUS.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
				* Dom. j. Pretiosissimi Sanguinis D. N. J. C. dup. 2. el.
xxvj	g	Kal.	1	Oct. S. Joan. Bapt. d. Com. O. Ap.
25. xxv	A	vj	2	Visitatio B. M. V. d. 2. el. Com. SS. Processi et Martiniani MM.
xxiv	b	v	3	De Octava.
xxiij	c	iv j	4	De Octava.
xxij	d	iii	5	De Octava.
xxjj	e	Prid.	6	Oct. Apost. Petri et Pauli. dup.
xx	f	Non.	7	
xix	g	viij	8	Elisabeth Reg. Port. Vid. sem.
xviij	A	vij	9	
xvij	b	vj	10	VII. Fratrum et SS. Rufinæ ac Secundæ Mart. sem.
xvj	c	v	11	Pii Papæ et Mart.
xv	d	iv	12	Joannis Gualb. Abb. dup. Com. SS. Naboris et Felicis Mart.
xiv	e	iij	13	Anacleti Papæ et Mart. sem.
xiij	f	Prid.	14	Bonavent. Ep., C. et Doct. dup.
xij	g	Idib.	15	Henrici Imperat. Conf. sem.
xj	A	xvij	16	B. V. M. de Monte Carm. d. m.
x	b	xvj	17	Alexii Conf. semid.
ix	c	xv	18	Camilli de Lellis C. dup. Com. S. Symphorosæ cum 7 filiis M.
viij	d	xiv	19	Vincentii a Paulo Conf. dup.
vij	e	xiij	20	Hieronymi Æmiliani C. dup. Com. S. Margaritæ Virg. et M.
vj	f	xij	21	Praxedis Virginis.
v	g	xj	22	Mariæ Magdalenæ. dup.
iv	A	x	23	Apollinaris Ep. et Mart. dup. Com. S. Liborii Ep. et Conf.
iij	b	ix	24	Vig. et Com. S. Christinæ V. et M.
ij	c	viij	25	Jacobi Apost. dup. 2. el. Com. S. Christophori Mart.
j	d	vij	26	Annæ Matris B. M. dup. maj.
*	e	vj	27	Pantaleonis Mart.
xxix	f	v	28	Nazarii, Celsi et Victoris M. ac Innocentii P. et C. semid.
xxviij	g	iv	29	Marthæ Virg. semid. Com. SS. Felicis, Simplicii, etc., M.
xxvij	A	iij	30	Abdon et Sennen Mart.
25. xxvj	b	Prid.	31	Ignatii Conf. dup.

AUGUSTUS.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xxv. xxiv	c	Kal.	1	Petri ad Vincula. dup. maj. Com. SS. Machab. Mart.
xxiij	d	iv	2	Alph. Mariæ de Lig. E. et C. d. Com. S. Stephani P. et M.
xxij	e	iij	3	Inventio S. Steph. Prot. sem.
xxj	f	Prid.	4	Dominici Confessoris. dup.
xx	g	Non.	5	Dedic. S. Mariæ ad Niv. d. maj.
xix	A	viij	6	Transfiguratio Dni. dup. maj. Com. SS. Xysti, etc., Mart.
xviij	b	vij	7	Cajetani Thienæi Conf. dup. Com. S. Donati Ep. et Mart.
xvij	c	vj	8	Cyriaci, Largi et Smaragdi Mart. semid.
xvj	d	v	9	Vigilia: Com. S. Romani Mart.
xv	e	iv	10	Laurentii Martyris. dup. 2. cl.
xiv	f	iij	11	De O. Com. SS. Tib. et Susan. M.
xiij	g	Prid.	12	Claræ Virg. dup. Com. Oct.
xij	A	Idib.	13	De O. Com. SS. Hip. et Cass. M.
xj	b	xix	14	De O. Com. Vig. et S. Eusebii C.
x	c	xviij	15	Assumptio B. M. V. dup. 1. cl. * Dom. infra Oct. Ass. Festum S. Joachim Conf. dup. maj.
ix	d	xvij	16	Hyacinthi C. dup. Com. Oct.
viij	e	xvj	17	Oct. S. Laur., d. Com. Oct. Ass.
vij	f	xv	18	De Oct. Com. S. Agapiti Mart.
vj	g	xiv	19	De Octava.
v	A	xiij	20	Bernardi Ab. et D. d. Com. Oct.
iv	b	xij	21	Joannæ Franc. dup. Com. Oct.
iij	c	xj	22	Oct. Assumpt. B. M. dup. Com. SS. Timothei, etc. Mart.
ij	d	x	23	Philippi Ben. C. d. Com. Vig.
j	e	ix	24	Barthol. Ap. d. 2. cl. Romæ 25.
*	f	viij	25	Lud. Reg. Fr. C. sem. Rom. 26.
xxix	g	vij	26	Zephyrini Papæ et Martyris.
xxviij	A	vj	27	Josephi Calasanctii Conf. dup.
xxvij	b	v	28	Augustini Episc., Conf. et Doct. dup. Com. S. Hermetis Mart.
xxvj	c	iv	29	Decollatio S. Joannis Baptistæ. d. maj. Com. S. Sabinæ Mart.
25. xxv	d	iij	30	Rosæ Virg. Limanæ. dup. Com. S. Felicis etc. Mart.
xxiv	e	Prid.	31	Raymundi Nonnati Conf. dup.

SEPTEMBER.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xxiij	f	Kal.	1	Ægidii Ab. Com. 12 Frat. Mart.
xxij	g	iv	2	Stephani Regis Conf. semid.
xxj	b	iij	3	
xx		Prid.	4	
xix	c	Non.	5	Laurentii Just. Ep. Conf. sem.
xviij	d	viij	6	
xvij	e	vij	7	
xvj	f	vj	8	Nativitas B. M.V. dup. 2. cl. Com. S. Adriani Mart.
				* Dom. infra Oct. Festum SS. Nominis B. M. dup. maj.
xv	g	v	9	De Oct. Com. S. Gorgonii M.
xiv	A	iv	10	Nicolai de Tol. C. d. Com. Oct.
xiij	b	iij	11	De Oct. Com. SS. Proti, etc., M.
xij	c	Prid.	12	De Octava.
xj	d	Idib.	13	De Octava Lamberti.
x	e	xviij	14	Exaltatio S. Crucis. dup. maj. Com. Oct.
ix	f	xvij	15	Oct. Nativ. B. Mariæ. duplex. Comm. S. Nicomedis Mart.
				* Dom. iij. Festum Septem Dolorum B. M. V. dup. maj.
viij	g	xvj	16	Cornelii et Cypriani P. et M. sem. Com. S. Euphemiæ, etc.
vij	A	xv	17	Impr. Stigm. S. Francisci. dup.
vj	b	xiv	18	Josephi a Cupertino Conf. dup.
v	c	xiij	19	Januarii Ep. et soc. Mart. dup.
iv	d	xij	20	Eustachii et Sociorum M. dup. Com. Vigiliæ.
iij	e	xj	21	Matthæi Ap. et Evang. d. 2. cl.
ij	f	x	22	Thomæ a Villa Nova Ep. et C. dup. Comm. SS. Mauritii et sociorum Mart.

ÆQUINOCT UM AUTUMNALE.

j	g	ix	23	Lini Papæ et Mart. sem. Com. S. Theclæ Virg. et Mart.
*	A	viij	24	B. M. de Mercede. dupl. maj.
xxix	b	vij	25	
xxviij	c	vj	26	Cypriani et Justinæ Mart.
xxvij	d	v	27	Cosmæ et Damiani Mart. sem.
25. xxvj	e	iv	28	Wenceslai Ducis et Mart. sem.
xxv. xxiv	f	iij	29	Dedic. S. Mich. Arch. d. 2. cl.
xxiij	g	Prid.	30	Hieronymi Presb. et D. dup.

OCTOBER.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
				* Dominica j. Festum SS. Rosarii B. M. V. dup. maj.
xxij	A	Kal.	1	Remigii Ep. et Conf. sem. ad lib. vel simplex de præcepto. In Gallia, dup.
xxj	b	vj	2	Angelorum Custodum. dupl.
xx	c	v	3	
xix	d	iv	4	Francisci Conf. duplex.
xviij	e	iij	5	Placidi et Sociorum Mart.
xvij	f	Prid.	6	Brunonis Confessoris. duplex.
xvj	g	Non.	7	Marci Papæ et Confess. Com. SS. Sergii, etc., Martyrum.
xv	A	viij	8	Brigittæ Viduæ. duplex.
xiv	b	vij	9	Dionysii, Rustici et Eleutherii Mart. semidup.
xiij	c	vj	10	Francisci Borgiæ Conf. semid.
xij	d	v	11	
xj	e	iv	12	
x	f	iij	13	Eduardi Regis Conf. semidup.
ix	g	Prid.	14	Callisti Papæ et Mart. duplex.
viij	A	Idib.	15	Teresiæ Virginis. duplex.
vij	b	xvij	16	
vj	c	xvj	17	Hedwigis Viduæ. semiduplex.
v	d	xv	18	Lucæ Evangelistæ. dup. 2. cl.
iv	e	xiv	19	Petri de Alcantara Conf. dup.
iij	f	xiij	20	Joannis Cantii Conf. duplex.
ij	g	xij	21	Hilarionis Abb. Com. SS. Ursulæ et Soc. Virg. et Mart.
j	A	xj	22	
*	b	x	23	
xxix	c	ix	24	
xxviij	d	viij	25	Chrysanthi et Dariæ Mart.
xxvij	e	vij	26	Evaristi Papæ et Martyris.
xxvj	f	vj	27	Vigilia.
xxv	g	v	28	Simonis et Judæ Ap. dup. 2. cl.
25. xxiv	A	iv	29	
xxiij	b	iij	30	
xxij	c	Prid.	31	Vigilia.

NOVEMBER.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xxj	d	Kal.	1	Festum omnium Sanct. d. 1. cl.
xx	e	iv	2	Com. OO. fidelium Defunct. dup. et de Oct. OO. SS.
xix	f	iij	3	De Octava.
xviij	g	Prid.	4	Caroli Ep. Conf. dup. Comm. Oct. et S. Vitalis, etc., Mart.
xvij	A	Non.	5	De Octava.
xvj	b	viij	6	De Octava.
xv	c	viij	7	De Octava.
xiv	d	vj	8	Oct. Omnium Sanctorum. d. Com. SS. Quatuor Coronatorum Mart.
xiij	e	v	9	Dedic. Basilicæ Salvat. dup. Comm. S. Theodori Mart.
xij	f	iv	10	Andreæ Avellini Conf. semid. Com. S. Tryphonis, etc., Mart.
xj	g	iij	11	Martini Episc. et Conf. dup. Com. S. Mennæ Mart.
x	A	Prid.	12	Martini Papæ et Mart. semid.
ix	b	Idib.	13	Didaci Conf. semid.
viij	c	xviij	14	
vij	d	xvij	15	Gertrudis Virg. duplex.
vj	e	xvj	16	
v	f	xv	17	Gregorii Thaumaturgi Episc. et Conf. semid.
iv		xiv	18	Dedicatio Basilicarum SS. Petri et Pauli. dup.
iij	g A	xiij	19	Elisabeth Viduæ. dup. Com. S. Pontiani Papæ et Mart.
ij	b	xij	20	Felicis de Valois Conf. dup.
j	c	xj	21	Præsentatio B. M. V. dup. maj.
*	d	x	22	Cæciliæ Virg. et Mart. dup.
xxix	e	ix	23	Clementis Papæ et Mart. dup. Comm. S. Felicitatis Mart.
xxviij	f	viij	24	Joannis a Cruce Conf. dup. Com. S. Chrysogoni Mart.
xxvij	g	vij	25	Catharinæ Virg. et Mart. dup.
25. xxvj	A	vj	26	Petri Alexand. Ep. et Mart.
xxv. xxiv	b	v	27	
xxiij	c	iv	28	
xxij	d	iij	29	Vigil. Com. S. Saturnini Mart.
xxj	e	Prid.	30	Andreæ Apostoli. dup. 2. cl.

DECEMBER.

CYCLUS EPACT.	Littera Dom.		Dies Mensis	
xx	f	Kal.	1	
xix	g	iv	2	Bibianæ Virg. et Mart. semid.
xviij	A	iij	3	Francisci Xaverii Conf. dup.
xvij	b	Prid.	4	Petri Chrysol. Ep. C. et D. dup. Com. S. Barbaræ V. et M.
xvj	c	Non.	5	Sabbæ Abb. Com.
xv	d	viij	6	Nicolai Ep. et Conf. duplex.
xiv	e	vij	7	Ambrosii Ep. Conf. et Eccl. Doct. dup.
xiij	f	vj	8	Imm. Concep. B. M. V. d. 2. cl.
xij	g	v	9	De Octava.
xj	A	iv	10	De Oct. Com. S. Melchiadis.
x	b	iij	11	Damasi Pap. et C. sem. Com. Oct.
ix	c	Prid.	12	De Octava.
viij	d	Idib.	13	Luciæ Virg. M. dup. Com. Oct.
vij	e	xix	14	De Octava.
vj	f	xviij	15	Oct. Imm. Conceptionis. dup.
v	g	xvij	16	Eusebii Ep. et Mart. semid.
iv	A	xvj	17	
iij	b	xv	18	
ij	c	xiv	19	
j	d	xiij	20	Vigilia.
*	e	xij	21	Thomæ Apostoli. duplex 2. cl.

SOLSTITIUM HIEMALE.

xxix	f	xj	22	
xxviij	g	x	23	
xxvij	A	ix	24	Vigilia.
xxvj	b	viij	25	Nativitas D. N. J. C. d. 1. cl.
25. xxv	c	vij	26	Stephani Protomartyris. dup. 2. cl. Com. Oct.
xxiv	d	vj	27	Joannis Apost. et Evang. dup. 2. cl. cum Com. Octavarum.
xxiij	e	v	28	SS. Innocentium. dup. 2. cl. Com. Oct.
xxij	f	iv	29	Thomæ Cantuar. Ep. et Mart. semid. Comm. Octavarum.
xxj	g	iij	30	De Dom. infra Oct. Nat. vel de Oct. cum Com. Oct.
19. xx	A	Prid.	31	Silvestri Papæ et Conf. dup. Comm. Oct.

Hæc Epacta 19. nigra nunquam est in usu, nisi quando eodem anno concurrit cum Aureo numero xix.

Perspicua hæc sunt ac Kalendarii Juliani castigandi necessitatem haud dubie in aprico ponunt. Quo vero evidentius adhuc appareat, quantum a priscis Ecclesiæ sanctionibus in celebrando Paschate decursu temporis sint aberraturi, qui antiquum stylum retinent, differentiam Paschatum utriusque Kalendarii per aliquot annorum periodos futuris sæculis in adjecta tabula exhibebimus.

A. DNI.	D.	A. DNI.	D.	A. DNI.	D.	A. DNI.	D.
1864	35	2864	7	3864	42	4864	42
1865	0	2865	7	3865	42	4865	14
1866	7	2866	35	3866	14	4866	12
1867	7	2867	7	3867	42	4867	42
1868	0	2868	42	3868	35	4868	14
1869	35	2869	7	3869	14	4869	42
1870	7	2870	7	3870	42	4870	42
1871	0	2871	35	3871	7	4871	42
1872	28	2872	7	3872	7	4872	42
1873	7	2873	7	3873	42	4873	14
1874	7	2874	42	3874	7	4874	42
1875	28	2875	7	3875	35	4875	42
1876	0	2876	35	3876	42	4876	14
1877	7	2877	7	3877	7	4877	49
1878	7	2878	7	3878	35	4878	42
1879	0	2879	35	3879	14	4879	14
1880	35	2880	7	3880	14	4880	42
1881	7	2881	7	3881	35	4881	14
1882	0	2882	35	3882	7	4882	42
1883	35	2883	7	3883	42	4883	49
1884	7	2884	7	3884	42	4884	14
1885	0	2885	35	3885	7	4885	42
1886	0	2886	7	3886	42	4886	42
1887	7	2887	35	3887	42	4887	14
1888	35	2888	7	3888	7	4888	42
1889	0	2889	7	3889	42	4889	42
1890	7	2890	35	3890	14	4890	42

Materiam tabula hæc præbet problematum computisticorum, in quibus expediendis utiliter se exercere solent candidati. Postuletur ergo a Computi studioso, ut cujusque anni in tabula descripti quærat *numerum aureum, indictionem, epactam, literam Dominicalem et Pascha :*

ex utriusque Kalendarii regulis cuncta supputando. Dies autem quibus Paschata duorum Kalendariorum inter se differunt, colliguntur, si ad diem Paschæ veteris styli addantur dies ἐξαιρεσίμους seu *exemptiles* ex anno Juliano, et ex numero ita conflato dies Paschatis novi styli dematur, v. g., quoniam usque ad annum 1900 exclusive auferendi seu potius ablati jam sunt 12. dies exemptiles, si hi adjiciantur ad 19 aprilis, quo Pascha veteris styli anno 1864 celebratur, confiunt dies 31 aprilis h. e. dies 62 martii, a quibus si detrahatur dies 27 martii, quo Pascha Kalendarii Gregoriani eodem anno celebratur, residua erit differentia dierum 35. Item quia usque ad annum 4877 numerus dierum ἐξαιρεσίμων erit 34, si eos ad Pascha vetus illius anni, h. e. ad 19 aprilis addes, summam colliges dierum 53 aprilis; a quibus si subduxeris Pascha novi Kalendarii ejusdem anni 4877, id est dies 4 aprilis, reliqua fiet differentia utriusque Kalendarii dierum 49. Russi igitur anno 4877 septem hebdomadis ab Ecclesia catholica in celebrando Paschate disjuncti erunt, quum id habituri non sint nisi die, qui in Kalendario reformato est 23 maji.

Ut vero adolescentes minus adhuc in Computo versati problemata ex præcedentibus proponenda facilius solvat, duas hic subjungimus tabulas temporarias, quarum altera dies exemptiles exhibet usque ad annum 5,000 *inclusive*, altera literas Dominicales ad Kalendarii Gregoriani emendationem determinatas commonstrat.

ANNI CENTESIMI.	D. Exemp.	ANNI CENTESIMI.	D. Exemp.	ANNI CENTESIMI.	D. Exemp.
1800	12	2900	20	4000	—
1900	13	3000	21	4100	29
2000	—	3100	22	4200	30
2100	14	3200	—	4300	31
2200	15	3300	23	4400	—
2300	16	3400	24	4500	32
2400	—	3500	25	4600	33
2500	17	3600	—	4700	34
2600	18	3700	26	4800	—
2700	19	3800	27	4900	35
2800	—	3900	28	5000	36

ANNI CENTESIMI.				1700 2500 3300 4100 4900	2100 2900 3700 4500 9300	1800 2600 3400 4200 5000	2200 3000 3800 4600 5400	1900 2700 3500 4300 5100	2300 3100 3900 4700 5500	2000 2800 3600 4400 5200	2400 3200 4000 4800 5600
ANNI INTERMEDII.				LITERÆ DOMINICALES.							
				C		E		G		B. A	
1	29	57	85	B		D		F		G	
2	30	58	86	A		C		E		F	
3	31	59	87	G		B		D		E	
4	32	60	88	F. E		A. G		C. B		D. C	
5	33	61	89	D		F		A		B	
6	34	62	90	C		E		G		A	
7	35	63	91	B		D		F		G	
8	36	64	92	A. G		C. B		E. D		F. E	
9	37	65	93	F		A		C		D	
10	38	66	94	E		G		B		C	
11	39	67	95	D		F		A		B	
12	40	68	96	C. B		E. D		G. F		A. G	
13	41	69	97	A		C		E		F	
14	42	70	98	G		B		D		E	
15	43	71	99	F		A		C		D	
16	44	72		E. D		G. F		B. A		C. B	
17	45	73		C		E		G		A	
18	46	74		B		D		F		G	
19	47	75		A		C		E		F	
20	48	76		G. F		B. A		D. C		E. D	
21	49	77		E		G		B		C	
22	50	78		D		F		A		B	
23	51	79		C		E		G		A	
24	52	80		B. A		D. C		F. E		G. F	
25	53	81		G		B		D		E	
26	54	82		F		A		C		D	
27	55	83		E		G		B		C	
28	56	84		D. C		F. E		A. G			

Hujus tabulæ usum candidatus facile discet, si ad duo animadvertat, nimirum : 1° supra in ea collocatos atque in unum congestos esse omnes annos centesimos ab anno 1700 usqud ad annum 5600, qui eamdem literam Dominicalem habent; 2° a latere sinistro — in columnis verti-

calibus — ordine dispositos esse annos intermedios juxta numerum annorum cycli solaris.

Ut igitur invenias literam Dominicalem anni dati, v. g. anni 1864., quære inter annos centesimos annum 1800 atque in eadem columna ad perpendiculum descende usque ad lineam æquam seu horizontalem anni intermedii 64. inveniesque duas literas Dominicales C. B. quarum prior inserviet usque ad 24. februarii, altera autem reliquo anni tempore.

SYMBOLE

MENSIUM VARIARUM NATIONUM.

Anno ecclesiastico in menses 12. Kalendarii ita distributo, reliquum est, ut hoc lòco rudem aliquam mensium symbolen proponamus, qui a variis populis fuerunt observati, quique in bonis anctoribus sæpe adducuntur. *Rudem* illam dicimus, quia ut annorum diversa initia apud diversos sunt, ita mensis mensi exacte non respondet. In hexasticha hac tabula autem primo loco describemus menses Latinorum ac deinde ordine atque e regione ita ponemus menses Hebræorum, Græcorum aliarumque nationum, ut, qui e regione ponuntur, præter propter eodem tempore evenire intelligantur. Conferri itaque conciliarique hac ferme ratione possunt

MENSES.

ROMANORUM.	HEBRÆORUM.	ATHENIENSIUM.	ÆGYPTIORUM.	CAROLIM.	REIP. GALLIC.
1. Januarius.	(1) טבת 10.	8. Γαμηλιών (2).	5. Thebi (3).	1. Wintermonat (4)	5. Ventôse (8).
2. Februarius.	שבט 11.	9. Ἐλαφηβολιών.	6. Mechir.	2. Hornung (5)	6. Pluviôse.
3. Martius.	אדר 12.	10. Μουνυχιών.	7. Phamenoth.	3. Lentzmonat.	7. Germinal.
4. Aprilis.	ניסן 1.	11. Θαργηλιών.	8. Pharmuthi.	4. Ostermonat (6).	8. Floréal.
5. Majus.	איר 2.	12. Ξκιροφοριών.	9. Pachon.	5. Wunnemonat (7)	9. Prairial.
6. Junius.	סיון 3.	1. Ἑκατομβαιών.	10. Pauni.	6. Brachmonat.	10. Messidor.
7. Julius.	תמוז 4.	2. Μεῖαγειτνιών.	11. Epiphi.	7. Heumonat.	11. Thermidor.
8. Augustus.	אב 5.	3. Βοηδρομιών.	12. Mesori.	8. Ærnmonat.	12. Fructidor.
9. September.	אלול 6.	4. Μαιμακτηριών.	1. Foth.	9. Herbstmonat.	1. Vendémiaire.
10. October.	תשרי 7.	5. Πυανεψιών.	2. Phaophi.	10. Winnmonat.	2. Brumaire.
11. November.	מרחשון 8.	6. Ανδεστηριών.	3. Athir.	11. Windmonat.	3. Frimaire.
12. December.	כסלו 9.	7. Ποσειδεών.	4. Chiac.	12. Heiligmonat.	4. Nivôse.

(1) Hebræi veteres, quod ex Bibliis constat, menses numero sui ordinis exprimebant, *primum, tertium, octavum, duodecimum*. Post reditum ex Babilone, imitatione Chaldæorum, videntur nomina certa singula retinuisse, ita quidem ut primus ab æquinoctio verno esset *Nisan* sive *Abib*, a quo omnia legis festa æqualibus numerarentur interstitiis. Confer quæ de ratione temporis apud Hebræos habet *Keil Archæolog. biblicæ p.* IV, *c.* 1, § 74.

(2) Series hæc mensium Græcorum desumpta est ex *Theod. Gaz.* c. VI, *de Mensibus*. Notandum vero, Kalendariorum *sacrorum* initium apud Græcos idem esse omnium a mense septembri, mensibus singulis nomina latina (Ἰανουάριος, Φεβρουάριος,..... Σεπτέμβριος......) ferentibus. Nolim autem, inquit *Morcelli Kal. Const. ad* 1, *sept.* in latinis hisce mensium nominibus suspensus hæreas. Nihil quidem apud Græcos, sive in Europa, sive in Asia, tam varium olim, quam mensium appellatio fuit : ut, cujusque mensis plus quam duodena nomina, alia nempe apud aliam gentem fuisse reperiamus ; sed Græcis omnibus in populi Romani potestatem redactis, quum et latinæ coloniæ multas in urbes deductæ essent, factum est, ut Græcia universa paulatim romanos indueret mores : itaque, fori in primis causa et ob acta publica appellationes quoque mensium, quas deinde in Μηνολογίοις seu Kalendariis sacris usurpatas videmus, maturæ receptæ. Sic, qui martyrium S. Ignatii αὐτόπται scripserunt, Romanam consuetudinem secuti sub finem narrationis, et *januarium* et *decembrem* memorant.

(3) *Ægyptiorum ac Persarum* annus olim sicut et *Reipublicæ gallicanæ* recentiori ætate constitit diebus naturalibus 360. quot sunt gradus in circulo, ut singulos menses tricenum dierum haberent ; appendicem autem dierum 5, quas Græci ἐπαγομένας, Galli *jours complémentaires* dixere, tanquam extra rotundum mensium circulum, computabant quidem antequam novum exordirentur annum ; sed tamen extra menses omnes. Absoluto itaque *Mesori* primus dierum intercalarium dicebatur πρώτη ἐπαγομένων, secundus δευτέρη ἐπαγομένων, et sic porro. Similiter finito *Fructidor* kalendarii Reipublicæ gallicanæ inserebantur dies adjectitii 5., ut adeo, si spectes mensium dies, essent dies 360 ; at si appendicem ante anni novi initium adnumeres, essent dies 365. in anno communi, 366 in anno embolimæo.

(4) Carolus *M. Eginhardo* teste in *Vita Caroli M.* § 29. mensibus juxta patriam Germanorum linguam nomina imposuit, uti videre est

apud *Migne Patrol. lat. t.* 97, *pag.* 52. De prisca anni civilis forma apud Germanos recepta deque ejus partitione in tria vel quatuor tempora et in menses 12. doctissimam disputationem in academia Kilionensi die 6. octobris annni 1862, habuit *D. Carol. Weinhold. Januarium* alii in Germania ab aquis nivibusque eo tempore conglaciatis ac *duratis Hârtmônd* appellant *Müllendorffio* teste in *Luxemburger Haus-Kalender*, opere peregregio, in quo cl. auctor — omni genere literarum insigniter excultus ut est — Καλανδολογίαν profanam ac vulgarem, si quis alius, a sæculi rebus ad sacrum argumentum tam scite quam pie accommodavit, ut adeo in eo legendo et delectationis et utilitatis et ædificationis uberrimum fructum capiant Christiani Kalendarii amatores.

(5) Al. *Sporkel* vel *Spirkel*, ut habet *Müllendorffius l. c.* De ratione verborum *Hornung* et *Spirkel* cfr. *Weinhold l. c.*

(6) *Eosturmonath*, inquit *Beda, de Temporum ratione* c. 15, *qui nunc Paschalis mensis interpretatur, quondam a Dea illorum* (Germanorum), *quæ* Eostre *vocabatur et cui in illo festa celebrabant, nomen habuit, a cujus nomine nunc Paschale tempus cognominant consueto antiquæ observationis vocabulo gaudia novæ solemnitatis vocante. (Migne, Patrol. lat., tom.* 90, *pag.* 357.)

(7) Winnimonath h. e. *Weidemonat.* cfr. *Weinhold l. c.*

(8) Menses kalendarii Reipublicæ gallicanæ mensibus romanis hac ratione respondent :

Vendémiaire: 22 sept. — 21 octob.;
Brumaire: 22 oct. — 20 novemb.;
Frimaire: 21 nov. — 20 decemb.;
Nivôse: 21 decemb. — 19 januar.;
Ventôse: 20 jan. — 18 februar.;
Pluviôse: 19 feb. — 19 mart.;
Germinal: 20 mart. — 18 april.;
Floréal: 19 apr. — 18 maj.;
Prairial: 19 maj. — 17 jun.;
Messidor: 18 jun. — 17 jul.;
Thermidor: 18 jul. — 16 august.;
Fructidor: 17 aug. — 15 septem.;

Sequuntur dies adjectitii 5, de quibus jam diximus in *not.* 3.

METHODUS ADDISCENDI COMPUTUM SINE PRÆCEPTORE.

Præmonemus, methodum hanc iis non proponi, qui liberalium disciplinarum cognitione perfusi ad Computum ediscendum accedunt; hi enim absque ullo canonum isagogicorum adjumento felicem operam in hujus lectione commentarii posituri sunt. Si qui vero subtili illa ingenuarum artium scientia destituti nostro libello duce ad Computum comparare se voluerint, initium legendi faciant ab ipsis Kalendarii ecclesiastici tabulis, quæ ex Breviario ac missali Rom. explicatæ ob oculos sunt. Ex his invenient anni quæsiti dies, hebdomadas, menses, epactas, literas dominicales, solstitia, novilunia, cæteraque omnia, quæ ad Computum pertinent.

Qui hujus scientiæ cupidus pentastichas Kalendarii tabulas percurrit, primo aspectu animadvertit, singulos menses quinque columnis ad perpendiculum directis ita constare, ut in *prima* exibeantur epactæ gregorianæ, singulis diebus affixæ, in *altera* vero ponantur literæ Dominicales, in *tertia ac quarta* deinde describantur dies mensis : eorumdem denominationibus romanis cum iis collatis, quæ receptæ in nunc Kalendariis sunt ; in *quinta* tandem differentia assignetur, quæ inter dies utriusque Kalendarii per annum intercedit.

Kalendarii ecclesiastici artificio ita inspecto singulas ejus partes attingat : studii sui initio a tertia ac quarta columnis sumpto. Ex commentario igitur ex ordine repetat, quæ de die (ejusque divisione in horas), hebdomade, mensibus atque anno tam lunari quam solari diximus. Solis annuos investiget cardines, h. e. æquinoctiorum solstitiorumque momenta. Discat inde literas secundæ columnæ atque ex his ortum cyclum solarem. Hisce præcultus tiro cyclum lunarem cum aureo numero perdiscat diligenterque in iis subactus demum ad primam columnam accedat epactarum gregorianarum methodum cum noviluniorum cognitione hausturus. Postquam hac in omni Computi materia diu se ac multum exercuit, gregorianam Kalendarii editionem et ex Kalendario castigato rectam Paschatum formam accurate cognoscat.

DE MARTYROLOGIO ROMANO.

CAPUT ADDITITIUM.

Quoniam sacri canones *de Computo discendo* id maxime spectant, ut clerici iis omnibus instituantur, quæ ad usus ecclesiasticos scitu necessaria sunt, non abs re esse censemus, commentario huic nostro in *Procemium Breviarii* appendicis instar caput *de Martyrologio romano* adjicere, quo literarum et numerorum in eo occurrentium usus in distribuendis annuntiandisque festis brevissime declaretur.

In Martyrologio romano igitur singuli dies notis Kalendarii romani exprimuntur, ut puta *kalendis januarii, pridie nonas julii, idibus augusti*, etc. Notis romanis additur vox *luna*, cui lector diem annuntians ex 31. numeris in capite cujusque diei positis illum adjungit, qui diem mensis lunaris designat v. g. *luna prima, luna decima, luna vicesima*, etc. Ut autem sciatur, *quota luna sit pronuntianda*, singulis diebus totius anni — verba sunt rubricæ computisticæ Martyrologio præfixæ — supra sanctorum historias dispositæ ordinatim sunt literæ 30, quot nimirum sunt epactæ, ex quibus cyclus epactarum compositus est (*n.* 75). Earum literarum autem hæc est significatio : litera *a* denotat epactam I., *b* epactam II., *c* epactam III., et sic deinceps aliæ literæ alias epactas significant, ut in subjecta tabella perspicuum est, in qua singulis epactarum numeris singulæ quoque literæ respondent.

a	I.	m	XII.	D	XXIII.
b	II.	n	XIII.	E	XXIV.
c	III.	p	XIV.	FR (1)	XXV.
d	IV.	q	XV.	F	25.
e	V.	r	XVI.	G	XXVI.
f	VI.	s	XVII.	H	XXVII.
g	VII.	t	XVIII.	M	XXVIII.
h	VIII.	u	XIX.	N	XXIX.
i	IX.	A	XX.	P	✻
k	X.	B	XXI.		
l	XI.	C	XXII.		

(1) Distinguenda est litera F cui appositum est signum R. ab altera

Substituuntur autem hujusmodi triginta literæ in locum 30. numerorum epactarum, secundum antiquam Ecclesiæ consuetudinem, quæ loco aureorum numerorum literas ponebat, ne forte in luna pronuntianda fiat error et confusio inter numeros cycli epactarum et numeros designantes, quot dies habeat luna. Cæterum ad inveniendos dies lunares non utimur nisi decem et novem epactis, quot nimirum sunt numeri aurei; et currente sæculo quidem eum ordinem epactarum tenemus, quem juxta n. 76. symbole hæc eum respondentibus literis Martyrologii exhibet.

LITERÆ MARTYROLOGII AUREIS NUMERIS ET EPACTIS RESPONDENTES SÆCULO XIX.

Aur. Num.	Epact.	Lit. Mart.	Aur. Num.	Epact.	Lit. Mart.
1	*	P	11	XX	A
2	XI	l	12	I	a
3	XXII	C	13	XII	m
4	III	c	14	XXIII	D
5	XIV	p	15	IV	d
6	XXV	F	16	XV	q
7	VI	f	17	XXVI	G
8	XVII	s	18	VII	g
9	XXVIII	M	19	XVIII	t
10	IX	i			

Ad annuntiandum igitur *quota sit luna*, sumatur primum numerus aureus anni currentis vel etiam epacta currens, deinde quæratur litera, quæ in tertio ordine positæ tabellæ illi numero aureo vel epactæ respondet; et eadem hæc litera vocabitur *litera Martyrologii* per totum illum annum, quia per numerum, qui in ipso Martyrologio singulis anni diebus sub ea reperietur, ostendet quota luna sit pronuntianda singulis diebus totius anni. Exemplo sit hic annus 1863, quo juxta sup. exposita n. 76. currit aureus numerus 2. et epacta XI. Hinc numero aureo 2. vel epactæ XI. respondentem vides in suprascripto diagrammate literam *l*. Unde singulis diebus annuntiabitur in Martyrologio luna adjecto illo numero, qui in serie numerorum et literarum canoni

lit F: illa in Martyrologio rubro colore scribitur respondetque epactæ XXV; hæc vero nigra est atque epactæ 25. convenit.

sanctorum præfixa respondet literæ *l*. Hæc de literis epactalibus Martyrologii (1).

Reliquæ vero literæ, quæ in margine exteriore Martyrologii recte descendunt, sunt literæ Dominicales, quibus hebdomadæ, dies dominicæ atque hebdomadum feriæ designantur. Quum igitur hoc anno 1863 habeatur litera Dominicalis *d*, hæc ipsa litera in margine Martyrologii occurrens denotabit diem Dominicum per totum hunc annum. Hinc literæ dominicali adjungi insuper in Martyrologio solet numerus epactalis, sicut in ipso Kalendario e regione literæ Dominicalis posita est. Quoniam igitur numerus epactalis XI. literæ Martyrologii *l* respondet, ubicunque in Martyrologio literæ Dominicali adjuncta est epacta XI. semper in serie literarum et numerorum in capite singulorum dierum præfixa litera *l* subjectum habebit numerum 1, quod signum est, illum esse primum diem mensis lunaris. Sic lunam primam hoc anno invenies sub litera *l* (ipsius epactæ significativa) 20. *januarii*, 18. *februarii*, 20. *martii*, 18. *aprilis*.... 12. *octobris*, 11. *novembris* et 10. *decembris*. In margine denique interiore Martyrologii dies mensium vulgaribus numerorum notis sunt expressi.

Ex his autem sequitur, Martyrologium romanum pro Kalendario servire posse : namque præter festa immobilia, quæ ibi singulis diebus recensentur, etiam festum paschale et alia festa mobilia, item novilunia, plenilunia, aliaque ex Kalendario peti solita deprehenduntur literis Dominicalibus, numeris epactarum et literis Martyrologii ibidem appositis.

(1) Independenter a proposita tabula literarum Martyrologii inveniri potest litera Mart. anni sequentis, data litera anni currentis, practico hoc modo : sit invenienda litera Martyrologii pro anno 1864, data litera anni 1863, quæ est *l*. Hæc litera ultimo decembris indicat lunam 22. Altero die, h. e. 1. januarii anni sequentis, erit luna 23. Vide, quænam litera habeatur supra 23. et invenies C, quæ litera Martyrol. erit anni 1864. Quod si ultimo decembris sit luna 29. ac proinde dubium exoriatur, an 1. januarii futura sit luna 30. vel 1. sequentis lunationis, videndum est, utrum luna currens sit 29. an 30 dierum, de quo cf. supra n. 52. III.

TABELLA TEMPORARIA LITERARUM MARTYROLOGII RESPONDENTIUM AUREIS NUMERIS ET EPACTIS AB ANNO 1862. INCLUSIVE USQUE AD ANNUM 1899. INCLUSIVE.

Annis Domini.	Aur. Num.	Epactæ.	Lit. Mart.	Annis Domini.	Aur. Num.	Epactæ.	Lit. Mart.
1862. 1881.	1	*	P	1872. 1891.	11	XX	A
1863. 1882.	2	XI	l	1873. 1892.	12	I	a
1864. 1883.	3	XXII	C	1874. 1893.	13	XI	m
1865. 1884.	4	III	c	1875. 1894.	14	XXIII	D
1866. 1885.	5	XIV	p	1876. 1895.	15	IV	d
1867. 1886.	6	XXV	F	1877. 1896.	16	XV	q
1868. 1887.	7	VI	f	1878. 1897.	17	XXVI	G
1869. 1888.	8	XVII	s	1879. 1898.	18	VII	g
1870. 1889.	9	XXVIII	M	1880. 1899.	19	XVIII	t
1871. 1890.	10	IX	i				

Serie literarum epactalium Martyrologii ita declarata id unum restat, ut breviter explicetur, quanam ratione sequentibus sæculis aliæ epactæ in illarum locum succedant, quas nunc adhibendas esse vidimus. Id autem ex duabus tabulis rubricæ computisticæ Martyrologio præfixæ eruitur, quarum prior, nimirum *tabula æquationis Cycli epactarum perpetui*, exhibet *literas indices* in hunc modum.

TABULA EXHIBENS LITERAS INDICES AB A. 1700 USQUE AD A. 5600.

Lit. indic.	Anno Domini.		Lit. indic.	Anno Domini.	
C	1700	Metemptosis	p	3700	Metemptosis.
C	1800	Met. Proemptosis	n	3800	Metemptosis.
B	1900	Metemptosis	n	3900	Met. et Proempt.
B	2000	Bissextilis.	n	4000	Bissextilis.
B	2100	Met. et Proemptosis	m	4100	Metemptosis.
A	2200	Metemptosis	l	4200	Metemptosis.
u	2300	Metemptosis.	l	4300	Met. et Proempt.
A	2400	Bissext. et Proemp.	l	4400	Bissextilis.
u	2500	Metemptosis.	k	4500	Metemptosis.
t	2600	Metemptosis.	k	4600	Met. et Proemptosis.
t	2700	Met et Proemptosis.	i	4700	Metemptosis.
t	2800	Bissextilis.	i	4800	Bissextilis.
s	2900	Metemptosis.	i	4900	Met. et Proemptosis.
s	3000	Met. et Proemptosis.	h	5000	Metemptosis.
r	3100	Metemptosis.	g	5100	Metemptosis.
r	3200	Bissextilis.	h	5200	Bissext. et Proempt.
r	3300	Met. et Proemptosis.	g	5300	Metemptosis.
q	3400	Metemptosis.	f	5400	Metemptosis.
p	3500	Metemptosis.	f	5500	Met et Proemptosis.
q	3600	Bissext. et Proempt.	f	5600	Bissextilis.

Constat hæc tabula tribus columnis, quarum prima continet *literas indices*, quæ diversis sæculis congruunt et signant seriem epactarum, quæ pro diversitate temporum novilunia indicant, eo modo, qui altera tabula mox subjicienda explicabitur. In secunda columna verticali descripti sunt anni sæculares ab anno 1700 usque ad annum 5600.

In tertia tandem notantur hæ voces *metemptosis, proemptosis, metemptosis-proemptosis, bissextilis*, quarum sensus hic est : *Metemptosis* (Μετέμπτωσις, a μετὰ, *post*, et πίπτω, *cado*) juxta *Petavium lib.* IV. *cap.* 17. *de Doctrina temp.* proprie fieri dicitur, quum annus priscam epocham moratur, ut quum major est anni quantitas forma Juliana. Sol quippe a puncto illo fixo, a quo annus Julianus incipit et in quem desinit, aliquantisper recedit sicque μετάπτωσις fit anni tropici ab anno civili (*nn.* 59. et 61.). Definitur autem metemptosis, seu *æquatio solaris*, suppressio unius diei in anno, evenitque tribus annis sæcularibus singulis quadringentis annis (*n.* 61.).

Annis 1700. et 1800. adscribitur *metemptosis.* Uterque annus bissextilis fuit juxta Kalendarium Julianum; juxta Kalend. Gregorianum vero communis est. Hinc differentia inter utrumque Kalendarium jam est duodecim dierum. Pariter a 1900. *metemptosis* fiet differentiaque evadet 13. dierum; sed an. 2000. bissextilis erit.

Proemptosis (προέμπτωσις) sive *æquatio lunaris*, dicitur anticipatio novilunii uno die. Fit fere singulis 300. annis ejusque causa est, quod cyclus lunaris novilunia non exacte referat, prout declaratum est *nn.* 72 et 75.

Metemptosis et *proemptosis* significat æquationem solarem simul et lunarem.

Datis ita *literis indicibus* ex tabula epactarum expansa facili negotio inveniuntur variæ epactarum series, quæ sequentibus sæculis erunt adhibendæ. Hæc autem est.

TABULA EXPANSA EPACTARUM

Literæ indices Epactarum.	NUMERI AUREI.																		
	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	1	2
	EPACTÆ.																		
P	★	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VIII	XIX
N	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VII	XVIII
M	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	VI	XVII
H	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	V	XVI
G	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	IV	XV
F	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	III	XIV
E	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	II	XIII
D	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	I	XII
C	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	★	XI
B	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXIX	X
A	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVIII	IX
u	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVII	VIII
t	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	XXVI	VII
s	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXV	VI
r	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIV	V
q	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXIII	IV
p	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXII	III
n	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	IX	XXI	II
m	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XX	I
l	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XIX	★
k	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVIII	XXIX
i	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVII	XXVIII
h	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XVI	XXVII
g	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XV	XXVI
f	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIV	XXV
e	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XIII	XXIV
d	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XII	XXIII
c	III	XIV	XXV	VI	XVII	XXVIII	IX	XX	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	XI	XXII
b	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	VIII	XIX	★	XI	XXII	III	XIV	25	VI	XVII	XXVIII	X	XXI
a	I	XII	XXIII	IV	XV	XXVI	VII	XVIII	XXIX	X	XXI	II	XIII	XXIV	V	XVI	XXVII	IX	XX

In hac tabula triginta *literæ indices*, quæ reperiuntur in prima columna verticali, varias epactarum series indicant, quæ iisdem horizontaliter respondent. Itaque dum currit *litera index* C, v. g. sæcul. XVIII. et XIX., series epactarum est XXII. III. XIV. XXV., etc., vel incipiendo ab anno primo cyclo lunaris sive a penultima columna dextima ✻. XI. XXII. III., et cæteræ, quæ in eadem columna horizontali tabulæ collocatæ sunt.

Dum *litera index* est B (h. e. ab anno 1900. usque ad annum 2200. exclusiv.), series epactarum erit XXI. II. XIII. XXIV., etc., vel a 1. anno cycli computatæ XXIX. X. XXI. II. et cæteræ, quæ in eadem columna horizontali literæ B respondent.

Dum litera A epactas indicat (h. e. ab an. 2200. usque ad an. 2300. et iterum ab. a. 2400. usque ad a. 2500.), respectivis aureis numeris convenient epactæ XXVIII. IX. XX. I., et cæteræ, quas tabula in eadem columna exhibet; atque ita porro. *Conferatur tabula expansa epactarum* illustrata a *Petavio*, *lib.* VII., *cap.* 12., *de Doctrina temporum.*

APPENDIX

AD COMMENTARIUM DE COMPUTO ECCLESIASTICO.

Quoniam juvenes optimarum literarum studiosi, in quos erudiendos omnes nostras curas et cogitationes conferimus, Computo ecclesiastico addiscendo operam navare non solent, nisi postquam præambulis doctrinis philosophicis ac theologicis adeo exculti sunt, ut Chronographiæ dogmata cognitione comprehendere facile possint : idcirco in Commentario hoc nostro, ad cujus rationem Computum tradimus, ex variis illis scientiis adjutricibus eas tantum regulas strictim recolendas esse censuimus, quas præ cæteris utilitati atque oblectamento esse juventuti Computo studiosæ usu cognovimus : allata, si forte in casu aliquo particulari non sufficerent, in academiis viva voce latius explicaturi. Astque apud selectissimos auditores certa habuimus, ea multis in seminariis clericorum Chronographiæ cupidorum sæpe desiderari, ex eorum defectu vero adolescentibus, quominus nobilissimam hanc scientiam rite percipiant, non raro impedimentum intelleximus inferri. Quod maxime iis in locis obtinere audivimus, ubi Kalendarium Gregorianum nondum est usu receptum ; ibi enim multis in clericorum collegiis rerum philosophicarum studium silere ac generatim bonas artes miserandum in modum neglectas jacere scribunt. Hos igitur aliosque omnes auxiliaribus literis leviter tantum imbutos respicientes in id consilii devenimus, ut paucas has notas Commentario typis jam excuso Appendicis instar adjiceremus, quo illorum candidatorum etiam, quibus manca tantum atque inchoata est severiorum literarum, cognitio usibus sufficere possit.

AD CAPUT PREAMBULUM.

DE ROTUNDITATE COELI MOTUQUE CIRCULARI COELORUM AC SIDERUM.

Sphæricum esse cœlum motusque ipsius ac siderum nobis manifestos ad sensum circulares esse, computistæ ecclesiastici eo facilius ex astronomorum doctrina assumunt, quod cœli rotunditatem conversionemque siderum circularem consonam omnino sacris Literis videre sibi videantur. Sic *Eccl.* 1.: *Sol* perhibetur *reversus in suos circulos;* et *divina Sapientia*, quæ *Eccli.* 24. *gyrum cœli sola circuivisse* (gr. ἐκύκλωσα) legitur, *Prov.* 8. *gyro vallasse abyssos* dicitur. Hinc Computi candidato notitia circuli ac sphæræ ex mathesi relegenda.

Sphæra, Σφαῖρα, *globus*, vocatur corpus solidum, rotundum, unica superficie contentum, ad quam ab uno intra figuram puncto omnes lineæ rectæ sunt æquales.

Axis sphæræ, ab *agendo*, est linea imaginaria per centrum sphæræ transiens atque utrinque in superficie terminata, circa quam (lineam immobilem) sphæra ipsa circumvolvi potest.

Poli sphæræ, a πολέω, *verto*, sunt duo puncta axem terminantia in superficie sphæræ. Latine *vertices* dicuntur.

Ex duobus polis mundi alter dicitur *borealis* a Borea inde flante, et *arcticus* ab ἄρκτος, Ursa, astro prope illum sito, et *septentrionalis* a septem lucidioribus stellis ursæ majoris, quæ dicuntur *triones* seu boves (a terenda terra), ex eo quod astrum ursæ simile sit plaustro, lento ac bovino gradu circa polum circumducto; alter autem vocatur *australis* ab Austro, vento siccante (αὔω), et *antarcticus*, h. e. arctico oppositus, et *meridionalis*.

Ambitus sphæræ, περίμετρος, dicitur superficies convexa ipsius sphæræ; in circulo ambitus idem est quod circumferentia.

Circulus definitur figura plana, sub unica linea ita comprehensa, ut ad hanc omnes rectæ lineæ ab uno intra figuram puncto ductæ æquales sint inter se.

In circulo præter alia considerantur *circumferentia*, περιφέρεια, seu curva linea circulum comprehendens; *centrum*, κέντρον, seu punctum medium circuli, et *diameter*, a διαμετρέω, *dimetior*, h. e.

linea, quæ sic ab uno puncto circumferentiæ ad alterum tenditur, ut per centrum eat.

Quod circulus quilibet dividatur in 360, partes æquales, quas *gradus* appellant, gradus vero in sexagena *minuta* seu scrupula prima, et minutum quodlibet in alias sexagenas partes æquales, quas *secunda* scrupula dicunt, fieri id propter opportunitatem sexagenarii numeri credendum est. Inter numeros enim duabus figuris constantes nullus est, qui tot partes aliquotas habet, quot sexagenarius, h. e. qui possit dividi in tot sui partes, ipsum replicatione metientes absque fractione residua.

Circuli in sphæra esse dicuntur, quarum circumferentiæ in superficie ipsius sphæræ sunt.

Poli circuli cujusvis in sphæra sunt puncta in superficie sphæræ, a quibus omnes rectæ lineæ ad circumferentiam circuli sui ductæ sunt æquales inter se.

Circuli sphæræ distinguuntur in *maximos* et *non maximos* seu *minores*, in *parallelos* et *non parallelos* seu *inclinatos*. Maximi transeunt per centrum sphæræ, minores non item.

Circulis maximis accensentur *ecliptica* cum *zodiaco*, *æquator*, *coluri*, *meridianus*, *horizon*; circulis non maximis annumerantur *tropici*, *arcticus*, *antarcticus*.

Sunt ex astronomis qui 20. circulos sphæræ numerent; e quibus tamen impræsentiarum usui non sunt nisi 11. illi, quos in Commentario adduximus. Ne ergo circulorum multitudine ac confusione absterreantur tirones, ab iis declarandis etiam hic supersedemus. De mutua relatione adductorum tamen paucis hæc accipiant. *Ecliptica*, quæ et *via regia* appellatur, Aristoteli, Gemino aliisque *circulus obliquus*, λοξὸς κύκλος, dicitur ab obliquitate, quam habet respectu æquatoris et meridianorum; æquatorem enim in punctis æquinoctialibus bifariam secat *oblique*, h. e. ad angulos non rectos. Angulus autem, quem ecliptica cum æquatore facit, arcum coluri solstitiorum subtendit et quidem tantum, quanta est in solstitiis solis declinatio ab æquatore, quæ tunc est maxima. Hic angulus ipsa est *obliquitas eclipticæ*, ζωδιακοῦ λόξωσις. Jam vero ejusdem quantitatis cum angulo obliquitatis eclipticæ sunt tum maxima solis declinatio, tum tropicorum distantia ab æquatore, tum distantia polorum eclipticæ a polis æquatoris, quæ quidem ex probabiliori sententia sunt *graduum* 23. et *min.* 30. Ecliptica deinde

polis suis eorumque motu diurno circa polos mundi circulos arcticum et antarcticum describit ac denique obliquitate sua tropicorum situm ac distantiam ab æquatore determinat *Zodiaci inventorem* apud Græcos *Anaximandrum Milesium*, in duodecim signa *partitorem Cleostratum* fuisse tradit *Plinius*, *lib.* II., *c.* 8. At *Plutarch. Placit. l.* II. *c.* 12. inventionem obliquitatis eclipticæ *Pythagoræ*, *Theon*, demum *Œnopidi* adscribit.

DE ZODIACO VISIBILI ET RATIONALI.

Qui adhuc in tirociniis hærent astronomiæ, diligenter attendant ad distinctionem, quæ inter duodecim signa cœlestia signiferi et dodecatemoria, atque inde inter *Zodiacum visibilem* et *rationalem* intercedit.

Duodecim illa Zodiaci segmenta æqualia ab astronomis excogitata, quæ Græci δωδεκατημόρια, Latini *domus cœlestes* appellant, æquale cœli spatium comprehendunt et ex se invisibilia sunt; cœlestes imagines vero seu animalia stellifera, a quibus denominatæ sunt domus cœlestes, inæqualia cœli spatia capiunt et visibiles per se esse conspiciuntur. Causa autem appellandi dodecatemoria nominibus animalium stellatorum et principium primi signi principium Arietis fuit, quia duodena illa Zodiaci segmenta tunc, quum astronomi in Ægypto et in Græcia divisionem hanc instituerunt aut perfecerunt, illas cœli plagas occupabant, in quibus erant astra illa seu constellationes duodecim animalium.

Zodiaco invisibili (*imaginario*, *rationali*) duodecim sunt partes æquales et tricenos in gradus distributæ ; *Zodiaci visibilis* contra partes sunt duodecim illa lucentia astra, quæ rationali seu invisibili nomen tribuisse diximus. Quoniam vero stellæ fixæ duodecim constellationibus Zodiaci visibilis contentæ a primo tempore partitionis ejus in duodecim segmenta æqualia progressæ jam sunt ortum versus gradus circiter 28., Zodiacus visibilis integris pene signis differt a signis Zodiaci rationalis, ut adeo nunc astrum Arietis v. g, sit sub signo Tauri Zodiaci invisibilis, Taurus sub Geminis, et sic de aliis. In definiendis anni formis communiter de Zodiaco rationali seu invisibili loquuntur astronomi.

Quum computistæ non raro intersit, locum solis in meridie diei cujuslibet dati invenire, in Commentario *p.* 8, *not.* 1, describendos censuimus dies, quibus præter propter sol in signa Zodiaci ingreditur; *præter propter* dicimus, quia solis ingressus in signa sæculorum decursu, immo eodem sæculo, iisdem diebus non contingit. Sic igitur tirones invenient locum solis in Zodiaco, h. e. in quo signo et in quoto signi gradu sol quolibet die mensis sit?

Initio quidem ex versibus *p.* 8. citatis *Inclita laus, etc.*, discent diem, quo sol in signum proprii mensis intrat, si attendant, quota sit in alphabeto prima litera ejus vocis, quæ proposito mensi respondet. Si enim juxta dicta *l. c.* tot unitates, quotum in alphabeto ea litera locum occupat, ex 30. subtrahas, reliquus fiet numerus illius diei, quo sol signum illius mensis ingreditur. *In quoto autem signi gradu* sol quotidie versetur, invenient, si easdem unitates, quas prima litera cujusque mensis offert, adjiciant ad numerum propositi diei ejusdem mensis: ea tamen lege, ut si numerus collectus minor fuerit, quam 30., inventus gradus referatur ad signum antecedentis mensis; quod tunc sol nondum ad proprium signum propositi mensis pervenerit. Quod si vero idem numerus major fuerit, quam 30., in eo gradu signi proprii mensis sciant solem commorari, qui relinquitur, si 30. abjiciantur ex numero conflato. Si denique summa exurgens fuerit 30., dicant, solem tenere vel gradum 30. signi antecedentis mensis vel principium proprii mensis. Ita v. g. quæratur locus solis die 29. septembris. Mensi septembris respondet vox *gerens* estque ejus prima litera *g.* septima in alphabeto. Adde 7. ad 29. et habebis 36.; abjectis 30. restant 6. Ergo sol eo die est in sexto gradu Libræ. Ita *Clav. Comput. ecc. cap.* 12.

Zodiaci latitudinem quod spectat, sunt qui eam securitatis gratia ad gradus 20. extendant, ut sit pars 18. totius circuli.

Ex duodecim Zodiaci signis *quatuor* dicunt *tropica*, quia *sol* — verba sunt *Sexti Empirici* apud *Petav. Rationarii temporum l.* I *c.* 1. — *in iis positus immutat et aeris conversiones facit*, quod declaravimus supra *pag.* 16 *in nota*. Hinc *quatuor anni cardines* fieri dicuntur aut in communi sectione æquatoris cum ecliptica, nempe æquinoctia, aut in contactu eclipticæ cum tropicis, nempe solstitia : hoc est in ipso Arietis, Libræ, Cancri et Capricorni Zodiaci rationalis. Ἐν κριῷ, inquit *Sextus*, ἐαρινὴ γίνεται τροπή Ἐν αἰγοκέρῳ χειμερινη, ἐν καρκίνῳ δὲ θερινὴ καὶ ἐν ζυγῷ φθινοπωρινή.

DE LATITUDINE AC LONGITUDINE SIDERUM.

Aliud elementum astronomiæ ante Computum studiose perdiscendum est de *latitudine* ac *longitudine geographica* alicujus loci deque ejus differentia a *latitudine* ac *longitudine astronomica siderum*.

Latitudo geographica est distantia ab equatore loci in superficie globi terrestris siti et in ejusdem meridiano circulo mensurata. Dicitur *latitudo*, quia pars orbis terræ ab uno ad alterum polum mundi angustior esse creditur, quam quæ ab occasu ortum versus.

Longitudo geographica est arcus æquatoris terrestris interceptus inter meridianum loci et primum alterum meridianorum, qui a geographis assumptus receptusque fuerit pro initio meridianorum omnium. Vocatur *longitudo*, quia pars orbis terræ secundum æquatorem ejusque parallelos ab occasu versus ortum major est, quam quæ a polo ad polum mundi nota est.

Latitudo siderum appellatur distantia ab ecliptica versus alterum ipsius polum. Tanta vero sideris latitudo esse censetur, quantus est arcus circuli latitudinis (ducti per polos eclipticæ et centrum sideris atque adeo illam secantis ad angulos rectus) inter eclipticam et sideris centrum interceptus.

Longitudo sideris æstimatur ab occasu ortum versus diciturque arcus eclipticæ ab initio Arietis computatus versus orientem usque ad circulum latitudinis transeuntem per centrum ipsius sideris.

Quod si motus solis per *viam regiam* eclipticæ dicatur compositus seu mixtus ex flexu *in latum versus polos* et ex progressu *in longum versus orientem*, ejus obliquitatem asseri manifestum est respectu. Æquatoris mundi ejusque polos, prout ex fusiori declaratione proprii motus siderum ortum versus patebit, quam tironibus dandam esse censemus.

DE MOTU PROPRIO SIDERUM ORTUM VERSUS.

Quæ igitur de *motu proprio siderum orientem versus* ex astronomia supponimus, ea diligenter addiscat Computi candidatus in scientia astronomica adhuc elementarius, eumque motum accurate distinguat a motu diurno, quo omnia sidera errantia et inerrantia 24. horarum

spatio ab oriente versus occidentem rapiuntur, donec ad orientem revolvantur. Itaque eclipticæ et Zodiaci in sphæram introducendi causa fuit motus proprius siderum ab occidente orientem versus, quem observarunt astronomi fieri in circulo hoc obliquo. Hic motus manifestissime apparet in luna; nam si luna videatur una nocte in meridiano, hora prima post occasum solis, elapsis inde horis 24. nondum perveniet nocte sequenti ad meridianum, sed requirentur minuta horarum circiter 50., eo quod motu proprio progressa sit orientem versus; et quum perveniet ad meridianum, erit hora prope secunda post solis occasum ; tertia vero nocte erit hora secunda cnm minutis 49. circiter, et sic deinceps, donec in meridiano non appareat nise in fine noctis. Quod de meridiano dicitur, etiam de horizonte valet. Nam si hodie — occidente sole — luna plena oriatur in horizonte, cras — occidente sole — non orietur, sed una fere hora post solis occasum, et ita deinceps serius ac serius. Præterea si hac note luna conjungi visa est cum aliqua stella fixa, nocte sequente eadem hora apparebit distans ab illa stella orientem versus gradus circiter 13., et ita continue elongabitur ab ea. Hinc inferunt astronomi, lunam *motu proprio* — vero aut apparenti — orientem versus tendere.

Ex altera vero parte apparet luna ita progredi orientem versus, ut modo accedat ad æquatorem, modo recedat; modo ad Austrum, modo ad Boream ; et per semicirculum sui motus sit citra, per alterum autem ultra æquatorem. Ex utroque igitur motu in longitudinem versus orientem et in latitudinem versus polos nascitur via obliqua ad æquatorem, et inde Zodiacus.

Quod de luna dictum est, ex quotidiano experimento patet etiam in sole, saltem post aliquot dies. Nam ab eadem stella fixa, cui conspiciebatur conjungi, recedit orientem versus quotidie uno fere gradu et post tres menses gradibus circiter 90., ut adeo oriens sol appareat in horizonte, quando illa stella fulget in meridiano, post sex menses autem distabit ab illa gr. circiter 180. et ipso oriente stella illa occidet in parte horizontis fere opposita. Quod item argumento est, solem quotidie — vere aut apparenter — ortum versus processisse. Et quia hoc motu modo declinat ad Boream, modo ad Austrum, ideo motus hic *mixtus ex motu in longum et in latum* videtur fieri per circulum obliquum eclipticæ. In aliis quoque sideribus idem motus apparet, sed non fit tam cito manifestus in planetis superioribus et multo minus in stellis

fixis, quum illæ non conficere credantur unum gradum orientem versus nisi annis 70. aut 72. circiter.

Quomodo autem reapse fieri possit, ut duobus contrariis motibus idem sidus moveatur continue, uno quidem diurno et communi ab oriente in occidentem, in æquatore aut ejus parallelis, quem *motum raptus* dicunt, altero autem proprio eoque menstruo vel annuo vel etiam hyperannuo ab occidente in orientem, astronomi ex proprii systematis principiis exacte declarant. Juvari solet phantasia tironum motu formicæ, quæ in Zodiaco sphæræ artificialis lente reptaret versus orientem uno aut pluribus Zodiaci gradibus, interim dum in manibus totum Zodiacum cum æquatore revolveres versus occidentem. Ita *Ricciol Almagest nov. lib.* I, *c.* 14.

Ex motu solis diurno ab ortu ad occasum dies, ex motu proprio atque obliquo orientem versus annos oriri declaratum est capite proxime sequenti Commentarii.

Utrumque motum expressit Sapiens *Eccl.* I, 5-6, his verbis : *Oritur sol et occidit et ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem et flectitur ad aquilonem.*

Quanam porro ratione per obliquum hunc solis motum Dei omnipotentis providentia fiat, ut tempestatum calor ac frigus tolerabiliora sint et vicissitudine sua vita animantium sensusque recreentur et instaurentur, late persequitur *Keplerus in Epitom. astronomiæ lib.* III. Si ecliptica, inquit, non inlinaretur ad æquatorem, sed sol perpetuo per æquatorem curreret, nulla tempestatum varietas nec annuorum quadrantum vicissitudo existeret. Contra si inclinaretur ad æquatorem angulo recto et sol per meridianum aliquem fixum semper incederet, confunderentur omnium quæ nunc sunt zonarum proprietates ; omnia enim climata participarent de torridæ, temperatæ ac frigidæ conditionibus ; sed in zonis, quæ nunc frigidæ sunt ac temperatæ, h. e. in maxima orbis parte, nimium frigus ob totalem solis recessum et nimius æstus ob accessum ad verticem fieret. Nunc autem ita vicissitudo harum qualitatum distributa est, ut varietas naturæ viventium atque animantiam heterogeneis partibus atque humoribus congrua servetur et intolerabilis diuturnitas frigoris et caloris sublata sit et extremæ regiones — torrida et frigida — intermediis temperatis junctæ sint, non autem immediate.

DE VARIIS MUNDI SYSTEMATIS.

Quanquam computistica a diversis, quæ excogitata sunt, systematis præscindit, in gratiam eorum tamen, qui mathematicis in studiis et astronomia præsertim rudes sunt, præcipua mundi systemata brevi in conspectu hic ponenda esse censuimus.

Systema mundi igitur hoc loco appellatur coordinatio et compositio magnarum mundi partium, h, e. elementorum, stellarum tam erraticarum (planetarum), quam fixarum cœlorumque omnium quoad ordinem et situm tam inter se quam respectu centri universi.

Tria sunt magis vulgata systemata, ad quæ cætera — in paucis tantum ab illis diversa — reduci facile possunt: nimirum *Ptolemæi, Copernici* et *Tychonis Brahe.*

Systema Ptolemaicum.

Hoc systema omnium, de quo constet, antiquissimum, a *Pythagora* primitus inventum, *a Ptolemæo* tamen nomen habet, quia post ingestam ab Aristarcho et Philolao opinionem de motu terræ circa solem denuo a Ptolemæo, illustri astronomo, fuit introductum ac novis rationibus fulcitum.

In hoc itaque systemate Ptolemæus terram in centro mundi constituit quiescentem ac omni motu destitutam. Circa globum terræ elementa collocantur eo ordine, quem characteres planetarum indicant et nominum horum series, nempe Lunæ, Mercurii, Veneris, Solis, Martis, Jovis, Saturni et octavæ sphæræ quæ et fixarum et ἀπλανής h. e, minime errans et a multis *Firmamentum* dicitur.

Talis mundi universi ac imprimis cœlestium sphærarum constitutio recepta fuit a *Pythagora, Archimede, Chaldæis, Cicerone, Plinio,* aliisque quam plurimis usque ad *Clavium.* Ad Ptolemaicum hoc *systema immotæ ac quiescentis terræ* reduci facile possunt alia quædam systemata, ab aliis paulo aliter ordinata quoad collocationem, situm vel ordinem planetarum. Ejusmodi sunt systemata *Platonicum* et *Ægyptiacum,* quæ fusius explicata vide apud *Ricciol. Almagest. nov.* tum *lib.* III, *c.* 6., tum *lib.* IX. *sect.* 3.

Systema Copernicanum.

Alterum systema appellatur a *Copernico*, qui illud perfecit atque argumentis pluribus et ingeniosis hypothesibus stabilivit; alioquin dicitur *Pythagoricum* et natum in schola Samia aut etiam Italica quoad motum terræ annuum; illum quippe olim jam asseruerant *Philolaus* et *Aristarchus Samius*. Revixit porro sub *Nicolao Cusano*, sed imperfecte tantum, donec Copernicus illud perfecit ac pluribus argumentis, ut diximus, fulcivit.

Copernicus itaque in centro universi solem ponit immobilem, saltem quoad motum translationis. Circa solem proxime Mercurius trimestri fere spatio periodicam suam conversionem absolvit: deinde Venus octimestri pene gyro; exinde vero Tellus cum tota elementari sphæra in orbe annuo annuam dierum 365 1/2 revolutionem ab occasu ortum versus peragit simulque motum diurnum circa suam axim ab occasu in orientem spatio 24. horarum: luna quoque ambit terram et elementa menstruo circuitu. Deinde iterum Mars circa solem tanquam universi centrum biennii spatio, Jupiter intra 12., Saturnus tandem intra 30. annuos circulos suos peragunt. Fixarum autem sphæra ultima prorsus immobilis est et vasto adeo intervallo a Saturni sphæra distans, et terræ orbis annuus sit puncti instar ad illam comparatus.

Diurno terræ motu circa propriam axem ab occasu ortum versus juxta Copernicum efficitur, ut omnia sidera moveri videantur ab orientem in occidentem: modo haud prorsus dissimili, quo navis a littore recedens aut ad littus accedens efficit, ut littus recedere aut appropinquare appareat.

Annuo circa solem circuitu vero fit, ut sol in centro mundi immotus existens apparenter signa Zodiaci opposita percurrere videatur, quum revera tamen terra sit, quæ ab occasu in ortum juxta ordinem signorum feratur. Atque hac ratione fieri videmus, ut phænomena cœlestia seu observationes siderum, quibus computisticam niti diximus *Comment. pag.* 12. *n.* 2, in systemate Copernicano non differant a phænomenis aliorum systematum.

Computus proinde jure optimo ab omni astronomia systematica præscindit.

Systema Tychonicum.

Tertium hoc systema — a *Tychone* ipso inventum — tum de Ptolemaico, tum de Copernicano participat. Quoad partium mundi digestionem plurimum cum Copernicano convenit, nisi quod terram cum elementis in centro universi immotam constituat, et circa eam primo lunam, deinde solem demum fixarum stellarum sphæram gyrari faciat, atque adeo terræ centrum etiam centrum cursus lunaris, solaris et sphæræ fixarum constituat. Reliquorum vero planetarum, ut Mercurii. Veneris, Martis, Jovis et Saturni centra in ipso sole collocantur. Ut igitur Tycho apparentem cœli motum, qui horis 24. fieri videtur, explicet, Ptolemæum sequitur statuitque terram in mundi centro fixe hærentem atque immotam et circa illam totam cœlorum machinam ab ortu in occasum circumvolvi. Ut vero planetarum phænomena explicet, cum Copernico convenit, statuens soli tanquam centro proxime Mercurium et Venerem remotius Martem, Jovem et Saturnium circumduci. Atque hæc sunt præcipua mundi systemata, quæ quoad summa capita saltem nosse decet candidatum Computi, licet expers sit majoris peritiæ astronomiæ.

AD CAPUT I.

Ad. n. 17. Qui astronomorum doctrinas cognitas non habent, hæc *de anni solaris divisione* accipiant, ne iis obturbentur, quæ n. 17 auditoribus nostris in hoc literarum genere jam exercitatis breviter exhibuimus.

Annus naturalis igitur a nonnullis in *sidereum* et *temporalem* dividitur; temporalis in *tropicum* et *æquinoctialem*, in *medium* et *verum*.

Annus temporalis, generatim sumptus, est solis integra conversio ab uno puncto eclipticæ ad idem punctum ; quod si sit punctum solstitii in tropico alterutro facti, annus proprie vocatur *tropicus* et *Ciceroni de Sommo Scip.* ac *Censorino c. 7. vertens*. Si autem sit alterutrum ex punctis æquinoctialibus, ab aliquibus, *annus æquinoctialis*, a plerisque vero etiam *tropicus* appellatur.

Annus sidereus est revolntio integra solis ab una ad eamdem stellam fixam. Longior est anno temporali, quia dum sol semel Zodiacum totum absolvit, stellæ fixæ interim tardo motu proreptant ortum versns 50. *secund.* circiter, quæ sol motn suo medio non percurrit, nisi horariis minutis fere 21., atque adeo confecto motu annuo Zodiaci nondum eamdem stellam fixam assecutus est nec nisi post 21. minnta assequitur. Sunt, qui hunc annum vocent *synodicum*, sicut et temporalem *periodicum*, quo modo mensis, quo luna Zodiacum percurrit, *periodicus* dicitur, quo vero soli iterum conjungitur *synodicus* appellatur, prout diximus in Commentario n. 50.

Annus medius seu *æqualis* aut *regularis* (ἔτος ὁμαλὸν) ille dicitur, qui aut est aut assumitur tanquam ejusdem perpetuo quantitatis et mensuræ, seu medins inter longissimum et brevissimum.

Annus verus, h. e., annus, *qui vere in cælo fit* et observatur in terra ideoque etiam *apparens* nominatur, irregularis est atque a Græcis ἀνώμαλον dicitur. Ita astronomi.

Quod si vero timeatur, ne Computi candidatus multiplici hac astronomica anni divisione initio impediatur potius quam juvetur, tunc omissa diversitate, quæ generatim esse dicitur inter annum temporalem et siderum, *solum distinguat inter tropicum* (æquinoctialem), *et sidereum*, atque accuratam anni tropici teneat notitiam, quia ex eo forma anni civilis pendet.

Ad. n. 20. De Vario anni initio apud Christianos pauca hæc adde : Ecclesia catholica in foro et publicis negotiis annum cum Romanis inchoat ab initio Januarii ; in divinis officiis autem ab adventu Christi Domini.

In subscriptione Brevium Pontificiorum anni initium ducitur a die Nativitatis Christi, in Bullis vero *sub plumbo* a die Incarnationis Verbi Divini, seu die Annuntiationis B. M. V. Sic igitur annum 1864., quem nos literis nostris adscribimus a kalendis januarii, Dataria et Cancellaria Romana Bullis Pontificiis non adscribit ante 25. martii, hoc tamen servato discrimine, ut nos kalendis januarii inchoatum annum 1864 a die Circumcisionis Christi numeremus ; Curia Romana autem notet hunc ipsum annum 25. martii jam completum a prima Incarnatione Verbi, de qua re videatur *Zech : de Cal. Eccl.* §. 418. De annis romanis memoratu dignus exstat casus apud *Gobat., tract.* VIII. *n.* 559. *Op. moral.*

Ad. n. 21. Si quis dogmatum juris minus peritus distinctionis hoc

numero memoratæ usum explicatum videre velit, is adeat *Fagnan.* ad c. *Ad nostram* 8. *de Regul.* (III, 31), ubi lata quæstio habetur de *anno novitiatùs* ad professionem religiosam requisito, *utrum* nimirum *annus ille* ex juris præscripto *naturaliter sit accipiendus, an civiliter aut ecclesiastice?* aliis verbis: *Utrum professio emissa peracto anno probationis eodem die suscepti habitus, sed ante horas quinque circiter sit valida necne?*

Ad. n. 22. *Qui Copernicanum systema* in ipsis definitionibus expressum volunt, diem definire solent *tempus, quo terra integram revolutionem super axem suam absolvit.* Ast quoniam Computus ab omni systemate præscindit ac solis peritorum observationibus nititur, a definitione diei commoniter recepta non recedendum esse censemus, quum observationes — siquidem rite instituantur — eædem in omni systemate sint juxta notata *pag.* 12 *not.* 2,

Quanquam *diem sideralem* (h. e. temporis, quo stella fixa ab eodem ad eumdem meridianum revolvitur) astronomi minorem esse probant *die solari*, ejusmodi distinctionem tamen idcirco omisimus in Commentario, quia astronomi, nedum vulgus, motus siderum secundum diem solarem ejusque partes metiuntur. Eam diversitatem vero hic tirones animadvertant, oriri ex motu solis in ecliptica ortum versus. Si sol enim hodie v. g. cum aliqua stella fixa ad meridianum appellat, crastina die non eodem temporis momento cum eadem stella redibit, sed paulo serius, quia ipse interim ulterius per eclipticam est progressus. Quoniam vero sol non eadem semper celeritate in ecliptica movetur, sed modo lentius, modo citius, post iteratas observationes sumendus erat terminus aliquius medius, qui jam esse censetur 2' 56" circiter. Hinc *diem solarem medium* 3' 56" ultra diem sideralem excurrere docent astronomi.

Quam *dierum naturalium inæqualitatem* vel ex memorato hoc inæquali cursu solis in Zodiaco vel ex aliis etiam causis detexit astronomica subtilitas, eam profundiori indagine indigere, quam ut in Computo latius examinari possit, manifestum est. Diversitatem dierum artificialium autem vel ex sola obliquitate cursus solis per eclipticam oriri usu sphæræ artificialis discere licet.

Diem artificialem non secus ac naturalem per accidens videri posse longiorem aut breviorem ob iter versus occasum aut ortum notabimus ad *n. 40.*

N. 23. *Dies naturalis* apud plerosque Græcos distinguitur compositione nominum νύξ et ἡμέρα diciturque vel substantive νυχθήμερον vel adjective νυχθημερινος. Diem simplicem multi dictum volunt *artificialem* eo quod vel serviat artificibus, vel talium dierum diversitas nonnisi artificio summo Dei Omnipotentis facta sit et artificialis sphæræ multiplici usu addiscatur.

N. 25. Vulgare illud distichon : *Lamberti, Gregori, etc.*, sæculi est XIV. circiter, quo æquinoctia et solstitia observata sunt contingere præter propter memoratis diebus, nimirum æquinoctia diebus 12. martii et 13. septembris, quorum prior est *S. Gregorio*, alter *S. Lamberto* sacer, solstitia autem diebus 15. junii, qui *S. Vito*, et 13 decembris, qui *S. Luciæ* noscitur dedicatus. Hæc ante Gregorianam Kalendarii reformationem.

N. 26. *Initos dies dominicos ab occasu solis*, qui evidenti *argumento canonico* confirmari voluerit, legat epistolam S. *Leonis M. ad Dioscorum Alexandrinum* relatam in CC. *Quod a Patribus*. 4. et *Quod die dominico*. 5. *dist.* 75., in qua agens pontifex de delectu diei et horæ conferendæ benedictionis sacerdotalis et leviticæ pro illa *can.* 4. *ejus noctis, quæ in prima sabbati*, h. e. in die dominico, *lucescit, exordia deligi* præcipit. Inquirens deinde *ad quem diem noctis sabbatum excipientis initia pertineant*, concludit, ad diem Resurrectionis seu ad diem dominicum pertinere (1) atque id evincit adducto sabbati sancti exemplo, cujus noctis initia ex solemnitate officii ecclesiastici et baptismi collatione certum est ad diem dominicum pertinere. Idem quoque ex *canone* 5. (*in Comment. p.* 25 *not.* 1. *citat.*) colligi, attentius Leonis verba consideranti dubium non est. In eo enim expresse asserit Papa, satagendum esse Dioscoro, *ut his qui consecrandi sunt nunquam benedictio nisi in die Resurectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespera sabbati initium constat adscribi.*

Satis ergo ex hac Leonis epistola perspicuum est, noctem illam, quæ celebrandis ordinationibus eligebatur, non ut partem sabbati antecedentis, sed ut partem instantis diei dominici consideratam esse atque ab occasu solis ad hunc pertinuisse. Id autem non solum de dominicis valere, qui sabbatum ordinationis subsequuntur quique *vacare* in antiquis Sa-

(1) Eidem propterea *Noctis Dominicæ* appellationem in sacris canonibus tributam legimus, ut apud *S. Anselm. Lucens.* coll. can., lib. VII, c. 39. (Migne, *Patrol. latin.* tom. 149. pag. 513.)

cramentariis (1) traduntur, sed de dominicis generatim omnibus, ex eo infertur, quod diem Resurrectionis h. e. dominicum simpliciter memorans, de die loquatur, qua illustriora mysteria ex divina ordinatione contigerunt; eam vero Dominicam absolute vocitamus.

Ad. n. 40. Ex annotatis supra ad *n.* 22. de differentia inter *tempus verum* et *tempus medium* tria hæc ad horologiorum usum transferes:

1° *Horologiis mechanicis* (clepsydra, horologio arenario, hor. hydrargirico, seu mercuriali; hor. horizon) *tempus* diei *medium* indicamus; *horologio solari* contra *tempus diei verum metimur*, tametsi in hoc quoque adeo incerti sint umbræ ad lineas horarias appulsus, ut iidem discerni vix possint absque formidine erroris unius aut plurium etiam minutorum.

2° Quæ de variis causis inæqualitatis dierum naturalium ab astronomis disputari *l. c.* significavimus, ea in aprico ponunt, illos egregie falli, qui mechanico suo horologio varias diei horas accurate indicari ac proinde ipsum horologium bene procedere jactant, *eo quod semper cum sole congruat*. Et re sane vera, quum duo dumtaxat dies sint, quibus tempus verum cum tempore medio coincidat, horologium mechanicum quod semper cum sole concordaret, perquam irregulare esset dicendum.

3° Iter facientes occasum versus et tempus horologiis mechanicis consuetis 24. horarum metientes, possunt tandem in numero et denominatione dierum ejusdem Kalendarii uno die deficere; et contra qui ortum versus tendunt, unum diem amplius, quam alioquin oporteret numerare. Primum contigit sociis *Ferdinandi Mazellan.* qui Hispalis

(1) Vide *Sacramentarium Gregorianum*. (Migne, *Patrol.*, t. LIV. p. 62. not. *c.* et p. 194. not. *b.*)

Quod plerique omnes liturgicarum rerum interpretes cum *Durand. Rat.* lib. VI. c. 39. 1. aiunt, ob eam rationem dies dominicos subsequentes sabbata ordinationibus deputata *vacantes* appellatos esse, vel quod cum traductis ordinationibus in diem sabbati pro die dominico totum quoque officium missæ translatum fuerit in sabbatum, vel quod propter officium nocturnum ordinationis usque in mane protensum proprio missæ officio fuerint ii dies expertes, id verum esse non existimant *Ballerinii in Annot. ad cit. ep. S. Leonis*. Idcirco potius dictos esse *vacare* putant, quod solum *officium laboriosius cantus* antiphonarum, responsoriorum, etc., omissum fuerit, ea forte de causa, ut ministris magno labore et prolixiori cantu ordinationum laxatis parceretur. Ob eamdem rationem tempore Adventus et Quadragesimæ statione etiam ac processione vacabant.

solventes anno 1519. die 10. augusti occidentali navigatione totum orbem circumlustrarunt, et anno 1522. reversi sunt Hispalim die 7. septembris, ut numerabant Hispalenses; at illi putabant esse diem 6. sept. *teste Anton. Pigafetta in opere Navigazione fatta dagli Spagnoli attorno al mondo.* Causa hujus erroris est in eo, quod navigantes occasum versus, solem velut fugientem sequuntur ideoque illis dies producitur quotidie, adeo ut tandem collectis illis diei appendicibus una dies integra inveniatur distributa ac veluti dispersa in reliquos omnes dies præcedentes, quod *Ricciol. Almag. nov. lib. I; c.* 28. in hunc modnm explicat. Fac, inquit, initam navigationem aut iter ab insula S. Thomæ in mari Guineæ, quæ est in æquatore, die 1. januarii in ipso meridie et navigari in linea æquatoris occidentem versus horis 24. conficiendo gradus v. g. 15. — Ergo postelapsas in horologio horisono horas 24. in horologio solari restabit adhuc una hora ante meridiem, quia meridianus ille ad quem pervenerunt, una hora est occidentalior insula S. Thomæ. Imperitus itaque nauclerus corrigendum putabit horologium suum horisonum et putabit illud accelerasse hora una, cum tamen deberet in itinerario navigationis dicere : *Secunda die pervenimus ad locum talem hora* 24. *post meridiem factum in insula S. Thomæ, sed in illo loco hora* 23. *tantum.* Sic igitur pergendo absolveretur totus æquator et rediretur ad insulam. S. Thomæ absoluto die 24. respectu meridiani in quo hæc insula est, et tamen naucleri solem secuti computarent diem tantummodo 23.

Contrarium accideret — ob contrariam causam — si ortum versus navigarent, tunc enim dies 25. numerarent. *Cfr. Jos. Blancan. in Sphæra lib.* VII.

Connexum cum præcedentibus est, quod astronomi animadvertunt, posse nimirnm alios aliis esse adeo vel occidentaliores, vel orientaliores, ut uni unum diem minus vel plus, quam alteri in eodem Kalendario numerent. Fac enim locnm esse occidentaliorem Roma gradibus 195. æquatoris seu horis 13, cujus modi est fere *Isabella*, una ex sexdecim insulis Salomonis (in mari Pacifico, versus terras antarcticas et Novam Zelandiam) detectis ab *Alvaro Mendoza* a. 1567., et Romæ celebrari Pascha die 22. martii, ita ut sabbatum sanctum finiatur in occasu 21. et mane sequens incipiat hora 12. Italica diei 22. martii; tunc enim in Isabella erit hora 23. Italica, sed diei 21. martii; itaque adhuc sabbatum et jejunii tempus. Dum ergo Romani numerant horam 6.

post mediam noctem diei 22. martii, in Isabella est hora 5. post meridiem diei 21. martii. Ex hoc etiam patet, quam vere *Clavius* olim docuerit, lunam Paschalem non juxta Computum astronomicum, sed vero juxta medios siderum motus ex cyclis esse determinandam.

Ad. n. 47. 1. Anni partitionem in hebdomadas Romanis quoque usitatam fuisse ex *Tert. ad Nation.* (non *Apol.*) *lib.* I. *c.* 13. ostendimus. Quod si quis aliis non absimilibus testimoniis confirmari voluerit, adeat *Joan. Xiphilinum*, Dionis Cassii breviatorem, qui in *Pompejo* ait, non ita pridem *ex stellis septem, quæ Græcis PLANETAE, Latinis ERRANTES dicuntur, dies dispositos esse*, et *S. Augustinum*, qui titulum Ps. 93 « *Psalmus ipsi David quarta Sabbatorum* » explicans testatur, dies hebdomadæ *a paganis et a multis Christianis* appellari a septem illis planetis, de quibus Xiphil. *l. c.* : *Quarta ergo sabbatorum*, inquit, *quarta feria, qui Mercurii dies dicitur* (*Migne Patrol. tom.* 37 *p.* 1192.). *Tertullian.* item *de Idololatria c.* 10. ait, nullum esse ludimagistrum, qui non habeat in ludo suo sive schola tabulam *septem idolorum*, h. e. septem planetarum, unde nomina dierum hebdomadis; in ea tabula quippe fuit præscriptum quid quoque die discipulis tradi oporteret. Huc etiam referunt notissimam illam responsionem magistri in *Sat. Juvenal. vv.* 159-161, ubi miseram conditionem docentis describit, quod adolescentes (quibus nihil salit seu palpitat in sinistra parte pectoris, hoc est, quibus nihil cordis et ingenii est) sexto quoque die hebdomadæ ipsi caput obtundant opportunis suis declamationibus de Hannibale :

. . . . . . Culpa docentes
Scilicet arguitur, quod læva in parte mamillæ
Nil salit Arcadio juveni, cujus mihi sexta
Quaque die miserum dirus caput Hannibal implet.

Sexta die nempe totius hebdomadis summa colligebatur : septima die quies et otium, ut idem *Tertullianus* habet *lib.* I. *ad. Nationes c.* 13. *cit.* (*Migne tom.* 1. *pag.* 674.)

Ad n. 56 *pag.* 45. *v. Februar. Erat antiquitus Romæ consuetudo ut circa hoc tempus in principio februarii Urbem lustrarent, eam ambiendo cum suis processionibus gestantes singuli candelas ardentes et vocabatur illud AMBURBALE. Atque ita ab hujusmodi consuetudine illud, quod fiebat ab ethnicis in usus indiscretos circiter initium fe-*

bruarii, a Christianis modo fit in festo B. Mariæ ad laudem et venerationem ipsius, non utique in lustrationem terrestris imperii, sed in regni cœlestis memoriam, quando juxta parabolam virginum prudendentum, omnes electi, lucentibus bonorum actuum lampadibus, obviam sponso ac regi suo venientes mox cum eo ad nuptias supernæ civitatis intrabunt. Inde etiam descendit nomen CANDELARIÆ, quo hoc festum vocatur. Hæc post *Bedam de Temporum ratione* c. 12 (*Migne tom*. 90. *p*. 351.) *Ioannes Belethus* in peregregio suo *Rationali divinorum officiorum* c. 81. (*Migne tom*. 262. *p*. 86.)

AD CAPUT II.

Ad. n. 63 *pag*. 61. Quod si plerique omnes Græci catholici, qui tum in imperio Austriaco (sub undecim Prælatis ritus orientalis (1), tum in longinquis partibus orientis cum schismaticis (2) permixti vivunt, antiquam Kalendarii formam nondum reliquerunt, id ex eo factum esse putandum est, quod catholici — spiritu charitatis insignes — diligenter ab omnibus immutationibus declinare studuerint, quæ schismaticos a reditu ad Ecclesiam Romanam abalienare potuissent: pro salute fratrum errantium sc. nihil non audentes eisdem vel ipsam rectam Kalendarii atque inde Paschatis cæterorum festorum rationem gratificati sunt.

(1) Tres in imperio Austriaco sunt Provinciæ catholicæ *ritus orientalis : Leopoliensis Ruthenorum et Græcorum, Leopoliensis Armenorum* et *Fogaraciensis Græcorum*. Metropolitæ *Leopoliensi ritus Rutheni* subjecti sunt duo Episcopi *ritus Ruth. : Stanislav*. et *Przemislien*. necnon tres Episcopi *ritus Græci : Eperiessien., Muncacsien*. et *Crisien*. *Archiepiscopus* Fogaraciensis sedes suffraganeas habet *Magno-Varadini, Lugosini* et in *Szamos-Ujvar. :* omnes ritus græci. Archiepiscopus Leopoliensis *Armenorum* vero suffraganeum non habet.

(2) Schismatici item sub undecim Episcopis in imperio Austriaco vivunt. Eorum sedes sunt *Arad, Budæ* (S. Andr.), *Carlowitz, Carlstadt, Czernowitz, Hermanstadt* (Transsilvan.), *Neusatz* (Bacska), *Pakrac, Temesvar, Werschetz* et *Zara*.

INDEX PRÆCIPUORUM AUCTORUM

QUI COMPUTUM ECCLESIASTICUM ILLUSTRARUNT AD ALPHABETI LITERAS DIGESTUS.

Plenioris hujus, quem ad usus auditorum nostrorum accomodavimus, Indicis causæ nobis fuere tres : *prima,* ut, quemadmodum incredibili a duobus fere sæculis contentione docti viri optimarum quarumque facultatum *bibliothecas notitiasque auctorum* ad levandum studiosorum laborem concinnarunt, ita nos etiam hoc sacrarum disciplinarum cultoribus præsidium compararemus ; *secunda,* ut in illorum qui ad Computi disciplinam penitus ac diligenter cognoscendam curas studiaque adjungunt, commodum atque utilitatem libros auctoresque ad id consulendos pro instituti ratione accurate designaremus ; *tertia,* ut, quod in aliarum disciplinarum academicis disputationibus imperiose poscere solemus a studiosis, *ne* sc. *ignotum auctorem memorent,* illud etiam in exercitationibus chronographicis jure quodam nostro postulare possemus, qua sane methodo nihil efficacius esse comperimus ad uberem utilitatis fructum ex scholasticis disputationibus capiendum.

C. IULIUS CÆSAR anno U. c. 710. Romæ in curia tribus et viginti vulneribus confossus periit. Domi militiæque immortalem nominis gloriam est consecutus. Kalendarii Romani castigandi curam suscipiens, licet *Flavio* scriba et *Sosigene* astronomo plurimum usus, ipsemet tamen tanti operis non ignarus præsul ac moderator extitit, de se apud *Lucanum 10, 187,* sic non magnificentius quam verius prædicans :

. . . . Media inter prælia semper
Stellarum cœlique plagis superisque vacavi
Nec meus Eudoxi vincetur Fastibus annus.

GREGORIUS PP. XIII (*Hugo Buoncompagni*), patria *Bononiensis*, obiit a. 1585. ætatis 83. Vir orbi literario rebus præclare gestis notissimus omnes virtutes Summo Pontifice dignas felicissimo nexu copulabat perennique elogio ejusdem pietas, doctrina, prudentia celebrabitur. Academia Bononiensis civi suo hocce mnemosynon posuit :

GREGORIO XIII. PONT. MAX.

Annuarum Revolutionum fœliciss. Restauratori.
Tempora qui seros Phœbi referentia gyros,
Toto, sancte senex, orbe venire facis :
Scilicet ut redeat nunquam revocabilis annus,
Atque suam teneant festa sacrata diem :
Næ tu Cœlicolis gratum atque perutile nobis
Immortale tibi conficis auctor opus.

A.

ABBO, qui aliis ALBO nuncupatur, natione *Gallus*, patria *Aurelianensis*, *Floriacensis* monasterii abbas, vir in omni genere literarum exercitatus, vita quoque et conversatione insignis, anno 1004. martyr occubuit, dum in Vastonia verbum Dei prædicaret. Scripsit *Commentarium in Cyclum Victorii*, cujus prologum post *Martenium* edidit *Migne*, *Pat. lat. tom.* 139, *pag.* 570.

ALCAZAR (MARTINUS DE), *Hieronymianus* ex Laurentina regia domo, in lucem edidit *Kalendarium Romanum perpetuum. Matriti ex typographia Regia a.* 1618. *in* 4.

ALCUINUS (FLACCUS), gente *Anglus*, Ven. Bedae auditor, Caroli M. præceptor, floruit sæculo VIII. Virum non magis dignitate quam scriptis clarum satis norunt eruditi omnes. Computi studiosus præter alia legat, quæ habet Alcuinus in epistolis *de Ratione Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ*, in edit. *Migne, tom.* 100., *pag.* 259 *seqq.*

ALDERANUS. *Vide* DESIDERIUS.

ALDHELMUS, S., *Anglus*, ex monacho *Baldunensi* sive *Malmesburiensi* abbas et primus deinde apud Saxones occidentales Episcopus a. 705. *Schireburnensis*, decessit a. 709. Vide *Acta sanctorum ad d.* 25. *Maji*, et *Migne Patrol. lat. tom.* 89. *pag.* 63 *seqq. Vir*, *Faricio* teste in *Vita S. Aldhelmi* atque *Migne l. c. pag.* 71., *undecunque do-*

ctissimus et scripturarum tam liberalium quam ecclesiasticarum eruditione mirandus opus scripsit *de Paschate contra Britannos* suæ ætatis Quartodecimanos. Confer etiam *Pagium ad an.* 699. n. 2.

ALLIACO (PETRUS DE), natione *Gallus*, cardinalis et episcopus *Cameracensis*, Academiæ Parisiensis cancellarius et in Collegio Navarrensi præceptor Joannis Gersonis, natus a. 1350. obiit a. 1425. Præter theologicos et ecclesiasticos tractatus scripsit quæstiones *in Sphæram Sacroboschi* et *de Reformatione Kalendarii*. Multa de Alliacensi habet *Bellarminus de Scriptoribus ecc. ad an* 1410., plura longe *Joannes Launojus Hist. regii Navarræ Parisiensis Collegii;* sed plenissime omnium de illo agit *Lud. Ellias Du Pin* in editione operum Joannis Gersonis *lib.* II.

AMBROSIUS, S., ex Liguriæ et Æmiliæ præside Episcopus *Mediolanensis*, magnus Ecclesiæ doctor, floruit sæc. IV. scripsitque quam plurima summa gravitate et eloquentia singulari. Ex iis ad rem nostram præ cæteris pertinet *Epistola ad Episcopos per Æmiliam constitutos de festo Paschali anni* 387, quæ exstat apud *Migne Patrol. lat. tom.* 15, Confer quæ ex ea adduximus in *Comment. n.* 88.

ANATOLIUS, domo *Alexandrinus*, Episcopus *Laodicenus* circa a. 270. qui *Eusebio* teste *Histor. Ecc. lib.* VII, *c.* 32 (apud *Migne Patrol. Græc. tom.* 20. *pag.* 723), *tum in liberalibus disciplinis, tum in philosophia principem inter doctissimos sui temporis viros locum sine controversia tenuit*, scripsit volumen *de Paschate* sive *Canones Paschales*. Præclarum hujusce operis fragmentum exhibet *Eusebius l. c. pag.* 728 sub hoc titulo: 'Εκ τῶν περὶ τοῦ Πάσχα 'Ανατολίου κανόνων. Opus vero integrum cum Victorii canone Paschali edidit *Bucherius Antverpiæ a.* 1634., *pag.* 439.

ANDREAS, *Damasco* oriundus, primo monachus *Hierosolymitanus*, deinde ex diacono Constantinopolitano archiepiscopus CRETENSIS, floruit circa annum 635. Vir sacris et profanis literis egregie excultus *Computum Paschalem in studiosorum gratiam elaboravit*, quem post *Petavium* edidit *Migne* in Appendice ad Eusebii Chronicon *Patrol. græc. tom.* 19., *pag.* 1329., coll. *tom.* 97., *pag.* 1303.

ANIANUS COUSSERE, *Flander* natione, ex monacho *S. Winoci* abbas S. Petri *Oudenburgensis*, floruit medio sæculo XV. Vir fuit antiquitatum christianarum peritia insignis ac præter alia *de Computo ecclesiastico* tractatum scripsisse fertur.

ANIANUS, *Magister*, astronomus et poeta sæc. XV., versibus Leoninis seu ὁμοιοτελεύτοις scripsit poema eruditum et jucundum, quod inscribitur *Computus manualis metrice compilatus ad ignorantiam temporis expellendam*. In proœmio notissima illa exstat sententia : *Quatuor sunt necessaria in domo Dei, seu grammatica : ad verba Dei exponenda; musica : ad laudes Dei decantandas ; jus canonicum : ad jura ecclesiastica defendenda et discernenda ; Computus : ad festa mobilia et immobilia invenienda.*

ANONYMUS I. auctor, qui *de sacro Paschatis festo* volumina aliquot scripsit. Ex iis tertium octo libris constans et Theodoro cuidam dedicatum perlegit *Photius* testaturque *multa sane atque præclara sensa in eo contineri*. Totius operis argumentum vide *Bibliotheca Photii cod.* 116 apud *Migne Patrol. græc. tom.* 103., *pag.* 391.

ANONYMUS II. auctor sæc. XII. *Tractatum de Computo ecclesiastico* scripsit : præ aliis memoratu dignum opus, quod indicem auctorum exhibet, qui Computum ecclesiasticum ad ea usque tempora suis scriptis illustrarunt. Ejus specimen habes apud *Pezium Dissert. Isagog. in tom.* 2., *Thes. anecdot., pag.* XXV.

ANONYMUS III. auctor, qui *Computum novum et ecclesiasticum* in lucem edidit *Venetiis a.* 1519. Regulæ carminis legibus adstrictæ hoc in opere exhibentur; illis vero auctor commentarium prosa oratione adjecit. Cfr. *Zaccaria in Bibliotheca Rituali, t.* 2, *lib.* 2, *c.* 3.

ANONYMUS IV. auctor sæculi proxime evoluti, qui fasciculum dissertationum aliaque plura ad Computum Paschalem pertinentia edidit *Amstelædami apud Joan. Boom, anno* 1736, *in-4*. Collectioni suæ hunc titulum posuit : *Dissertationes de cyclis Paschalibus, qui Enneadecaeteride Alexandrina nituntur, Dionysii, Bedæ, Ravennatensi, Isidori, Felicis Cyrilli, Theophili, Aniani, Panodari, Metrodori, Anatolii, Eusebii, Synodi Nicænæ, Athanasii : ut et de Enneadecaeteridis Alexandrinæ natura, initio et ratione Embolismi : de Computo lunari Alexandrino, necnon de Computo solari in genere, et Pauli Alexandrini atque Alexandrinorum in specie.* Singularum partium dispositionem vide in *Actis Eruditorum Lipsien. ad annum* 1737. *mense novemb., pag.* 494.

ARGYRUS (ISAACUS), natione *Græcus*, instituto monachus, claruit circa an. 1373. scripsitque patrio sermone *Computum duplicem*. Uterque

a *Petavio* sua versione donatus in *Uranologio* iterum prodiit in *Patrol. græca, Migne, tom.* 19, *pp.* 1279 *et* 1315.

ARNULPHUS apud *Avenionem* in *Audaonensi S. Andreæ* monasterio scriptis clarus circa an. 1026. scripsit *de Argumento solstitiali, de Computatione Græcorum et Latinorum deque aliis quæstionibus cum Computo utcunque conjunctis. Zaccaria in Biblioth. Ritual.*

ATTAVANTI (Iacobus), ord. Servorum B. M. V., cui Clemens PP. VIII illum præfecit. Vir ecclesiasticorum rituum ac juris canonici peritia nulli secundus præter alios libellos scripsit *de Correctione anni tempore Gregorii XIII.* Obiit anno 1607.

AVELAR (Andreas de), gente *Lusitanus*, scripsit *Chronographia dos Tempos. Olisipone* 1590.

AVILA (Rodericus Alphonsus de), *Hispanus*, patria *Granatensis*, floruit sæculo XVII. ediditque hispanice *La Explicacion del Computo ecclesiastico. Granatæ* 1630, *in*-4. Cfr. *Nicol. Anton. Biblioth. nov. Hispan.*

B.

BAGATTA (Raphael), *Italus* natione, cum I. B. Peretto edidit anno 1590 *Calendarium perpetuum.* Confer de eo *Mazzuchellium de scriptor. Ital.*

BALBIS (Ioannes de), patria *Ianuensis*, ord. Prædicatorum, floruit circa a. 1280. *Antequam ordinem intraret*, ita ipse de se ait in suo Lexico *catholicon, composuit opus Paschale, ubi scilicet de facili reperitur Pascha.* Vide *Oudin. tom.* 3. *ad an.* 1280.

BARADELLE (Iacobus), natione *Gallus*, vir in mathematicis disciplinis non mediocriter eruditus, anno quinquagesimo sæculi superioris edidit. Computum practicum inscriptum *Calendrier à compas*, cujus constructionem vide expositam ac laudatam in *Actis Trivultianis ad an.* 1750, *mense augusti*, *pag.* 1915.

BASTIDE (Ludovicus), *Gallus*, floruit sæc. XVII et XVIII. Vir fuit multiplici literarum genere egregie instructus ejusque nomen in clarissimis Galliæ oratoribus sacris sui temporis præfulget. Evulgavit *Tabulam perpetuam literarum Dominicalium*, de qua confer *PP. Trivultianos* in *Actis ad an.* 1704, *mense februar.*, *p.* 293.

BEDA (*Venerabilis*), *Anglo-Saxo*, monachus et presbyter, *Varro*

suæ ætatis merito dictus, omnifaria literarum peritia insignis, floruit sæculo VIII. scripsitque quam plurima ad grammaticam, ad mathesim, ad Computum, ad historiam, ad theologiam et ad poeticen pertinentia. Ejus opera exhibet *Migne Patrol. lat.*, *t.* 90-95.

BENETUS *al.* BENEDICTUS (1) (CYPRIANUS), natione *Hispanus, Aragonensis,* ord. Prædicatorum, doctor Parisiensis. Vir sanctitatis ac doctrinæ splendore insignis claruit circa a. 1511. scripsitque præter alia *Tractatum de non mutando Paschate.*

BESSARION, *Trapezuntius*, natione *Græcus*, patriarcha Constantinopolitanus et S. R. E. Cardinalis anno 1439. ab Eugenio PP. IV creatus fuit. Nemo suorum æqualium illo pietate spectabilior, nemo admirabilior doctrina, nemo denique generosis moribus ornatior extitit. Decessit a. 1472. annorum 77. Cfr. *Miræum. de Scriptor. Eccl.* Præter alia opera eruditis satis nota libellum scripsit *ad Paulum PP. II, de Errore Paschatis,* quem ex Bibliotheca Veneta erutum primus in lucem edidit doctissimus *Zanetti*, ejusdem Bibliothecæ custos. *Venetiis a.* 1741. Hujus libelli argumentum brevi in conspectu posuere *Lipsienses in Actis Eruditorum ad an.* 1745, *mense sept.*, *p.* 486.

BETTAZZI (IACOBUS), *Italus*, domo *Pratensis*, plebanus S. Hippolyti in Piazzanese, diœcesis Pistoriensis, vir in doctrina temporum versatus, edidit *Epitomen operis Paschalis. Florentiæ a.* 1733. Auctor obiit a. 1755. De ejus cum Melito a Perpiniano controversia circa necessitatem emendandi correctionem Gregorianam consule *Zaccaria Bibliothec. Ritual.*, *tom.* 2. Bettazio Gregorianam Kalendarii formam impugnanti plauserunt Protestantes *Lipsiensium Actorum* editores ad *annum* 1734, *p.* 419.

BIANCHINI (FRANCISCUS), patria *Veronensis*, obiit a. 1729. ætatis 67. Vir literis egregie excultus multa vulgavit, ex quibus hic memoranda :—1°. *De Kalendario et Cyclo Cæsaris ac de Paschali canone S. Hippolyti, Romæ* 1703.—2°. *Solutio problematis Paschalis. Romæ eodem anno.* — 3°. *Table Paschale, quam vide apud Trivultianos ad an.* 1704, *mense februar.*, *pag.* 301.

BLONDELLUS (FRANCISCUS), natione *Gallus*, obiit anno 1686. annorum 68. Vir ingenio valens et judicio ac disciplinarum mathematicarum, architectonicæ præsertim scientissimus plura scripsit, e quibus

(1) *Benedictus* Valentinæ gentis lingua *Benet* efferri solet teste *Nicolao Antonio, Biblioth. Hispan. vet. tom.* II. *p.* 363. *Edit. Matrit. a.* 1788.

ad Computum pertinet *Histoire du Calendrier romain. Paris*, 1682, *in-4*, opus peregregium, in quo elementa Chronographiæ cæteraque omnia, quæ ad Kalendariographiam referuntur, perspicue declarata vides.

BONJOUR (GUILIELMUS), *Gallus*, patria *Tolosanus*, vitæ instituto religiosus ordinis Eremitarum S. Augustini, vir multiplici doctrina præstans, a Cardinali Norisio, Congregationis *de Kalendarii reformatione* præfecto. Romam accitus ibidem a. 1701. edidit *Calendarium romanum cum gemino epactarum dispositu. fol.* Anno sequenti jussu Cardinalis Archiepiscopi Montisfalisci et Corneti evulgavit tractatum *de Computo ecclesiastico ad usum seminarii Montisfalisci*. Auctor non minus religione quam scientia venerandus obiit a. 1714. ætatis suæ 44. Conferri de eo possunt *Acta eruditorum Lipsien. ad an.* 1706, *mense majo, p.* 200.

BORDONUS (FRANCISCUS), natione *Italus*, doctrinæ copia clarissimus, edidit opus cui titulus: *Ecclesiastica ratiocinatio festorum mobilium a Christi morte ad bis millenarium per Cyclos ecclesiasticos. Bononiæ* 1657.

BORGONDIO (HORATIUS), S. I., domo *Brixiensis*, Romæ in academia Gregoriana S. I. mathesi tradendæ destinatus, per multos annos illam spartam egregie ornavit editis etiam operibus, ex quibus præ aliis hic memoratu digna sunt.—1°. *Constructio Calendarii Gregoriani propugnata Romæ a.* 1729, *in-4*. Universam operis sui doctrinam 20. thesibus scholasticis complexus emendatam Kalendarii formam curavit eodem anno publice propugnandam per *Petrum Gregorium Boncompagni*, pronepotem fratris magni Reformatoris Gregorii PP. XIII., de quo actu literario consuli possunt *Commentarii Trivultiani ad an.* 1732, *mense octob. p.* 1717.—2°. *De Cohærentia calculi astronomici cum æquationibus Gregorianis*. Doctissimi libelli argumentum sex propositionibus exhibuit, quas item in forma exercitationis scholasticæ curavit a. 1734. publice propugnandas a *Marchione Nicolao Giugni, Seminarii Romani convictore atque Academiæ Redivivorum principe*. Cfr. *PP. Trivultianos ad an.* 1736, *mense april., art.* 38, *pag.* 637.

BRIOCO (ROMANUS A S.), *Gallus*, ord. Capuccin. edidit *Defensionem Kalendarii Gregoriani adversus hæreticos et schismaticos. Parisiis, a.* 1647.

BRUXELLIS (Henricus de), *Belga*, monachus *Haffligemensis*, in *Brabantia*, vir in divinis Scripturis peritus et computista egregius, *de Ratione Computi* teste *Henrico Gandavensi*, *de Scriptoribus eccl.*, c. 58.

BUCHERIUS (Ægidius), S. I., *Belga*, domo *Atrebas*, obiit a. 1665. ætatis 80. Philosophiæ ac theologiæ in eo peritia copiosa et incredibiliter ampla. Plura scripsit ad chronographiam pertinentia, ex quibus hic præ cæteris memoratu dignus *Commentarius in Victorii Aquitani canonem Paschalem*. Cfr. *Victorius*.

BUSÆUS (Ioannes), S. I., gente *Belga*, patria *Noviomagensis*, tam amœnioribus quam severioribus disciplinis insigniter excultus, edidit *Disputationem apologeticam pro Calendario Gregoriano*. *Moguntiæ*, 1585, *in-4*. Alia ejus opera vide apud *Sotvellum in Bibliotheca S. I*. Obiit Busæus anno 1611., ætatis 64.

BUSBEC (Auger. Gislen.) natione *Flandricus*, natus a. 1522, variis obitis legationibus, præsertim Turcica, celeberrimus, multiplici historiæ ac scientiæ naturalis dotrina ornatus multa vulgavit, ex quibus præter alia in rem nostram convertimus *Comment. pag.* 29, quæ habet de partitione diei apud Turcas recepta.

C

CALVISIUS (Sethus), *Germanus*, oriundus a *Groszleben* in *Thuringia*, obiit anno Christi 1617, suo 61. Celebris fuit astronomus, musicus, poeta. Quæ contra Kalendarium Gregorianum scripsit, præ cæteris confutavit *Paul. Guldin* in sua *Refutatione*, de qua vide supra.

CAMERACENCIS. Vide ALLIACO.

CARAMUEL DE LOBKOWITZ (Ioannes), Laurentio Caramuele, nobili *Luxemburgensi*, et Catharina ex Lobkowitzia — clara in Bohemia — domo *Matriti* in Hispania natus a. 1606, ex Abbate Cisterciensi factus Episcopus suffraganeus primum Electoris Moguntini tum Archiepiscopi Pragensis in Bohemia, ad episcopatum *Campaniensem* regni Neapolitani evectus a. 1657, exinde ad *Vigevanensem* in Insubria translatus a 1673, ibidem piissime decessit a. 1682. Portentosi vir ingenii et per omnes scientias exercitatissimus innumeris prope libris editis Encyclopædiam visus est absolvisse. Ejus laudes breviter complexus est *Nicol. Anton.* in *Bibliothec. Hispan. nov*, ubi et scriptorum indicem vide.

Computum Ecclesiasticum tradit lib. II. *Cursus mathemat.* eumque variis propositis problematis kalendariographicis illustrat *Joco-ser. centur.* III.

CASSINI (IOANNES DOMINICUS), gente *Italus*, patria e *Perinaldo*, in comitatu *Niciensi*, natus a. 1625. obiit a. 1718. Plures ex doctissimis ejus lucubrationibus exstant in *Diariis Regiæ Parisiensis scientiarum Academiæ*. Cassinio elogium posuit *Fontenelle* in elogiis sociorum Academiæ Regiæ. Conferri etiam de possunt *Acta Eruditorum Lipsien. ad an.* 1716. *mense martio, pag.* 103.

CASSIODORUS (MAGNUS AURELIUS), *Scylliaci* in Calabria natus circa a. 470, scriptor ingenio et eruditione clarus, a Gothorum regibus Italiam obtinentibus variis honoribus et muneribus decoratus fuit; quibus tandem abdicatis in monasterium a se in finibus Calabriæ conditum secedens ætate provectus diem obiit post annum 562. Inter alia scripsit *Computum Paschalem seu de Paschate*, quem vide apud *Migne*, *Patrol. lat. tom.* 69, *pag.* 1249.

CASTRONIUS (BENEDICTUS MARIA), *Panormitanus*, ord. Prædicat., natus a. 1667, illustris professor matheseos, præter alia in lucem edidit. *Horographiam universalem. Panormi* 1728, *in-fol.* In hoc opere *Jani portam* seu *temporum januam* exhibet, quæ nihil aliud est, quam Kalendarium quoddam perpetuum, januæ formam præ se ferens, cujus ope majores ac mobiles Ecclesiæ solemnitates ac luminarium syzigiæ pro quovis anno facile definiri possunt.

CEOLFRIDUS, gente *Anglus*, patria *Bernicius*, Weremuthensis et Gersvicensis monasteriorum abbas, Ven. Bedæ præceptor, claruit circa a. 680., scripsitque insignem *Epistolam ad Naitonem Pictorum regem*, qui missis nuntiis illum rogaverat, ut dissereret *de Paschate et Romana clericorum Tonsura*. Eam Ven. Beda integram inseruit *Historiæ ecclesiasticæ lib.* v., *c.* 21., ut videre est apud *Migne, Pat. lat. tom.* 95., *p.* 271. Exstat etiam in eadem collectione *tom.* 89, *p.* 349.

CHALES (CLAUDIUS FRANCISCUS DE), natione *Gallus*, ex illustri *Milletiorum* in *Sabaudia* genere, natus *Camberii* a. 1621., magna nominis celebritate philosophiam ac theologiam docuit scripsitque præter alia *Cursum mathematicum tribus tomis*, quorum III. continet *Astronomiam et Kalendarium. Lugdun. a.* 1674.

CHILPERICUS, Vide HELPERICUS.

CLAVIUS (CHRISTOPHORUS), S. I., patria *Bambergensis*, mathematicorum princeps ac sui temporis *Euclides* vulgo dictus, unus ex omnibus

a Summis Pontificibus electus est, qui Kalendarium reformatum explicaret, quod luculentissime fecit : reformationem etiam contra *Mœstlinum* et Ios. Scaligerum egregie tutatus. Fuit in eo non minor animi demissio morumque religiosissimorum sinceritas, quam ampla rerum mathematicarum eruditio. Ætate meritisque gravis Romæ vita defunctus est die 6. febr. a. 1612. ætat. 75.

CLEMENS (Alexandrinus), præter alia insigna volumina, *plena*, ut ait *S. Hieronymus de Viris illust.* (*Migne Patr. lat. t.* 23, *p.* 653), *eruditionis et eloquentiæ, tam de divinis Scripturis quam de sæcularis literaturæ instrumento*, scripsit opusculum *de Paschate*, in quo testatus est, se a suis familiaribus coactum, ut quas traditiones ab antiquioribus presbyteris acceperat, eas scripto posteris mandaret, uti habetur apud *Euseb. Hist. ecc. lib.* v, *c.* 13. Vide *Migne Patr. græc. t.* 20, *p.* 550. Claruit circa a. 190.

CLUVER (Ioannes), oriundus a *Crempa*, in *Holsatia*, obiit a. 1633. ætatis 50. Vir magnæ apud heterodoxos famæ multa scripsit, ex quibus ad rem nostram pertinet : *Computus ecclesiasticus*, recusus *Hamburgi a.* 1639.

CONCORDIO (Bartholomæus a S.), *Pisanus*, ord. Præd., vir in utroque jure peritissimus, præter *Summam casuum conscientiæ* ab eo *Pisanellam* vulgo dictam conscripsit *Tabulam ad inveniendum Pascha*. Grandis natu obiit a. 1347.

COUSSERE. Vide ANIANUS.

CREMONA (Bartholomæus), *Mazarensis*, ord. Carmelit., nat. a. 1546., *Mongitore* teste *Bibl. sic. tom.* 1, *p.* 96, scripsit *Computum ecclesiasticum, de indictione, de aureo numero, de littera Dominicali, de anno bissextili, de festis mobilibus, de inveniendo Paschate, hinc ad mille annos.*

CRETENSIS. Vide ANDREAS.

CUMMIANUS (S.), abbas et episcopus e Scotia in Italiam *Bobium* accessit, ubi annos omnino 21. sub *S. Columbani* regula transegit. Claruit circa a. 660. scripsitque *Epistolam de controversia Paschali ad Sigienum abbatem Huensem*, de qua confer quæ habet *Migne Pat. lat. tom.* 87. *pag.* 969.

CUSANUS (Nicòlaus), oriundus a *Cusa*, quæ est villa ad ripam Mosellæ, in diœcesi Trevirensi, illustris Cardinalis, Pontificis in Germania legatus, Episcopus Brixinensis, subtilissimi ingenii philosophus,

theologus et mathematicus multarumque linguarum peritus, inter alia quamplurima scripsit *Reparationem Calendarii*. Obiit Tuderti in Umbria a. 1464. annorum 63.

CYPRIANUS (TH. C.), *Carthaginensis* Episcopus et Martyr, claruit medio sæculo III. In ejus Oxoniensem operum editionem anni 1700. primus Ioannes Fellus *De Pascha computum* intulit, tractatum vetustum, et si non S. Cypriani, ejus saltem ævo supparem. Exstat in *Patrol. lat. tom 4. p.* 937. *edition. Migne.*

CYRILLUS (S.), Patriarcha *Alexandrinus*, præter alia ad rationem Paschatis spectantia scripsit *Prologum pro cyclo* 95 *annorum*, quem cum anno Christi vulgari 437. inchoavit. Exstat apud *Migne Patrol. gr. tom.* 77 (*op. t.* 10.) *pag.* 384.

D.

DAVID (LUDOVICUS ANTONIUS), *Helvetus*, qui teste *Zaccaria in Bibl. Rit.* eo insaniæ devenit, ut non solum Gregorianam Kalendarii Romani correctionem nova emendatione indigere contenderet — quod aliis quoque visum fuit — sed etiam omnes, quibus post Nicænum Concilium afflicta est Christiana Respublica, calamitates, terræmotus, pestilentias, etc., *ob ineptam solemnitatum sanctificationem* a Deo immissas fuisse doceret. Vulgavit opusculum sub hoc titulo: *Ad Inclytam Rempublicam literariam, monitum SS. D. Clementi XI. P. O. M. ejusdem Reipublicæ principi ac patrono dicatum. Francofurti ad Mœnum a.* 1716.

DE LALANDE (IOSEPH. HIERON.), natus in *Foro Sebusianorum*, oppido *Bressiæ* regionis *Franciæ*, a. 1732., obiit anno 1807. Vir astronomiæ peritia clarus plura scripsit e quibus hic memoramus *librum VIII. Astronomiæ*, qui est *de Kalendario.*

DESIDERIUS ALDERANUS, *Italus* monachus e Congreg. Casin., in mathematicis, præsertim astronomicis, egregie doctus, claruit sæc. XVII et XVIII. Edidit *Tavole de' cicli solari, e lettere Dominicali per saper distinguere tutti li tempi passati, presenti e futuri, con altre cose spettanti al Calendario Romano, prima e doppo la riforma Gregoriana dell' anno, poste in metodo facile e breve. In Roma per Luca Antonio Chracas presso san Marco al Corso*, 1703.

DESING (ANSELMUS), *Germanus*, *Ensdorffianus* cœnobita, e Con-

gregatione Bavarica, claruit sæculo proxime evoluto. Ejus est *Instructio brevissima de arithmetica, in quantum hæc ad communissimam anni supputationem..... necessaria est. Accedit... Calendarium, in quo de natura anni, longitudine, emendatione tam Juliana, quam Gregoriana, de litera Dominicali, de indictione, de die Paschali, tabula Paschali agitur.* Hæc patrio sermone scripta exstant in doctissimi auctoris libro de *Auxiliis historicis in* 12. *Solbaci a* 1733.

DINOUART (Ios. Anton.), natione *Gallus*, patria *Ambianensis*, natus a. 1716., anno 1740. edere cœpit Diarium ecclesiasticum (*journal ecclésiastique*), ubi multa de Computo ecclesiastico, ut puta, *tom.* 50., *Observations sur le Calendrier romain; tom.* 56., *Observations sur le calcul ecclésiastique; tom* 62., *Lettre sur le Comput ecclésiastique.*

DIONYSIUS (Alexandrinus), multa in Deciana et Valeriana persecutione pro Christi nomine passus tandem a. 255. decessit. Scripsit *Eusebio* teste *Hist. eccle. lib. VII, c.* 20. (*Migne. Pat. gr. tom.* 20, *page* 680.), Epistolas Ἑορταστικάς (Rufinus *Paschales* vertit), probans etiam, *festum Paschæ diem nonnisi post æquinoctium vernum celebrari oportere;* in iis item canonem Paschalem tradidit. Confer etiam *Migne Patr. gr. tom* 18, *page* 1342.

DIONYSIUS EXIGUUS, natione *Scytha*, professione monachus et abbas Romanus, Cassiodori familiaris ejusque in Dialectica addiscenda condiscipulus. Claruit circa a. 540. Vide quæ de ipso habet *Cassiodor. de Institutione divinarum Literarum apud. Migne Pat. lat. t.* 70, *p.* 137. Composuit Cyclum Paschalem annorum 95., qui ab anno 532. initium ducit (1). In hoc cyclo annos a Christi Incarnatione numeravit. Eum cum Epistola Paschali ejusdem Dionysii, præ missa historia Cycli Dionysiani, post alios edidit *Migne* in *Patrol. lat. tom.* 67.

DULCIATUS (Antonius), patria *Florentinus*, ord. Eremitarum S. Augustini Longobardicæ Congregationis, prior monast. S. Galli, opus edidit duobus tomis comprehensum, cui titulum posuit: *De Festis mobilibus et Astronomia clericali, tom.* 1. *Regii a.* 1514; *tom* 2. *Florentiæ a.* 1514. Scripsit præterea, teste *Gandulpho*, tractatum *de Calendarii correctione.*

DURANDUS (Guilielmus), *Mimatensis* Episcopus, claruit sæc. XIII. De eo recole quæ diximus in *canonibus commentario præfixis*. Computum habet *Rat. div. offic. lib. VIII.*

(1) Cfr. *Hist. cycli Dionys.* § XV. (*Migne, t.* 67. *p.* 475. *a.*)

E.

ECBERTUS, *Suevigena*, monachus *Lindisfarnensis* in Anglia, floruit initio sæculi VIII. *A Iaan. Baleo de Script. Magnæ Britanniæ* et a *Ioan Pitsæo de Illustribus Angliæ script.* composuisse dicitur librum *de Paschali observatione ad monachos Huenses scriptum.*

ECKIUS (IOANNES), artium, decretorum et theologiæ doctor, professor Ingolstadiensis celeberrimus, *Mederero* teste *Annal. Acad. Ingolstad. a.* 1543. ante alios omnes docendo, disputando, scribendo effulsit, *Hæresiomastix* vulgo dictus. Laudum et vitæ Eckii compendium complexus est *Mederer l. c.* Exstat ejus libellus *de Vera Paschæ celebratione ad Leonem X. P. M. Ingolstadii* 1515.

ELBODUS, *Venetensis* Episcopus, claruit sæc. VII. *I. Balæus* et *I. Pitsæus* ei præter alia librum tribuunt *de Celebratione Paschatis.*

ERICUS, patria *Antissiodorensis*, professione monachus, *vir*, ut ait *Trithem de Vir. ill. c.* 289, *in divinis Scripturis doctus et in disciplinis sæcularium literarum eruditissimus*, præter alia opera librum scripsit, cui titulus: *de Expositione computi*. Claruit circa an. 980., Cfr. *Mabillon. Act. SS. Ben.* apud *Migne P. L. tom.* 90 *p.* 26, *in fin.*

EUSEBIUS, illustris *Cæsareæ* Palæstinæ Episcopus, cognomento *Pamphili*, ob amicitiam Pamphili martyris, teste *S. Hieronymo in Ezechiel.* Vir fuit longe clarissimus et in omni historiarum genere exercitatissimus. Exstant ejus opera in *Patrol. græc. Migne tt.* 19-24. De deperdito Eusebii libro *de Festo Paschali*, quem Constantino dicavit, videri potest ipse *Eusebius : Vit Constant. lib.* IV, XC, 34. apud *Migne l. c. tom.* 20, *p.* 1182.

EVERBRŒCK (CORNELIUS VAN), S. I., natione *Flandricus*, natus anno sæculi proxime evoluti 84. piissime obiit Romæ a. 1863. Magno vir ingenio et omnigenæ eruditionis laude cumulato; religiosi candoris ac leporis gratia omnibus charus. Scripsit *Elementa Chronographiæ*, in quibus se omnium literarum cum chronographiæ studio cognatarum peritia insignem ostendit.

F.

FALCK (IOSEPHUS FALKIUS), S. I., natione *Helvetus*, patria *Friburgensis*, natus a. 1680. literas didicit Lugduni, Parisiis ac denique

Romæ. In patriam translatus docuit Friburgi Brisgov. philosophiam, Ingolstadii mathesim. A palæstra academica ad munus præceptoris Principis assumptus a. 1715. in excolenda philosophia tamen perrexit usque ad diem obitus, qui erat 19. april 1737. Præter alia scripsit *de Differentia inter Pascha Catholicorum et Protestantium ann.* 1724.

FANTONI (PHILIPPUS), monachus *Camaldulensis*, in calculandi scientia versatus, ante Kalendarii correctionem scripsit : *De Ratione reducendi anni ad legitimam formam et numerum, et aliis ad eamdem rem pertinentibus. Florentiæ a.* 1560, *in* 8.

FEO (IOANNES), *Lusitanus* natione, religiosus Ord. S. Francisci, patrio sermone scripsit *Kalendario perpetuo. Olisipone* 1588.

FIGUEIROA FAXARDO (LEANDER DE), item *Lusitanus*, Kalendarium Gregorianum explicavit edito libro : *Arte do Computo Ecclesiastico segundo a nova reformaçaõ de Gregorio XIII. Conimbricæ a.* 1604 *in* 4.

FILLIOL, in *Galliis* sæculo superiore astronomiæ laude clarus, de quo diximus in *Com. n.* 62. In controversia *de Kalendarii reformatione* suadenti, ut luna Paschalis juxta calculum astronomicum computaretur, Academia Parisiensis præter alia ex mente Clavii respondit, ex eo sequi, *Pascha celebrari eodem die per totum orbem non posse, quod omnino inconveniens esset :* adjecta deinde hac de Gregoriano Kalendario sententia : « *Tout considéré, il se trouve que l'Église a agi avec beaucoup de prudence de s'en tenir au Calendrier* Grégorien, *sauf à y faire dans la suite du temps quelque réforme, si on le juge nécessaire* ». (*Hist. de l'Académie Royale, ad an.* 1721).

FLOERCHEN (ANGELUS), *Germanus*, *Hildesiensis*, instituto vitæ monachus O. S. B., floruit medio sæculo proxime evoluto. Kalendarium Gregorianum defectibus nævisque laborare ratus operi suo *Chronologia universalissima* subjunxit *Tractatum de Paschate et Computo ecclesiastico cum Computo novo et tabulis Paschalibus. Hildesiæ a.* 1742. Cfr. *Acta Eruditorum Lips. ad an.* 1743. *mense sept.*

FLORENTIA (RAMANTINUS DE), ordinis Prædicatorum, computista egregius sæculi XIV., Kalendarium emendavit edito *Opere Paschali a.* 1363.

FOROSEMPRONIENSISIS. Vide PAULUS.

FRANCO, scholasticus *Leodiensis Ecclesiæ*, natione *Teutonicus*,

vir, ut ait *Trithem. de Script. ecc. c.* 346, *in divinis Scripturis magnifice doctus et in sæcularium literarum disciplina eruditissimus, philosophus, astronomus et computista insignis*, claruit 1060 scripsitque *de Computo ecclesiastico lib. I.*, et *de Quadratura circuli lib. I.* Specimen posterioris hujus operis exhibet Migne *Patrol. lat. tom.* 143, *p.* 1373.

FULBERTUS, in Scripturis divinis eruditissimus et in sæcularium literarum disciplina, — sententia *Trithemii* c. 315. — omnium suo tempore doctorum doctissimus, scholæ publicæ Carnotensi præfectus, doctor multorum clarorum ingeniorum, inde Cancellarius ac denique Episcopus *Carnotensis* ab anno 1007., defunctus a. 1027. Exstat inter ejus *Hymnos et Carmina ecclesiastica* (1) poema *de Computo* hoc initio :

Annum sol duodena means per signa rotundat
Cunctaque ter denis percurrit signa diebus.

Titulus libelli ita habet : *de Signis et mensibus et diebus et horis : compendium Computi*, uti videre est apud *Migne P. lat. tom.* 141, *p.* 347.

G.

GASSENDUS (PETRUS), oriundus ab oppido *Chantersier*, diœcesis *Diniensis*, in *Galliis*, vir multiplici philosophiæ, astronomiæ præsertim, peritia ornatus sæc. XVII., obiit Parisiis a. 1656. ætat. 65. Ex operibus, quæ *de Astronomia* vulgavit, huc faciunt *Calendarium vetus Romanorum cum ortu occasuque stellarum*, necnon *Calendarium Romanum compendiose expositum*.

GAURICUS (LUCAS), patria *Geophonensis*, in regno *Neapolitano*, protonotarius apostolicus, dein Episcopus *Civitatensis*, vir apprime doctus, jussu summorum pontificum *Julii II*, *Leonis X*, *Clementis VII*, *Pauli II*, concinnavit *Kalendarium ecclesiasticum novum ex sacris literis probatisque veterum Patrum synodis, in quo agitur de vera Paschatis et Festorum mobilium celebratione*. Prodiit *Venetiis a.* 1552,

1. Regulas Computi inter *Carmina sacra* legi, mirum videri non potest, si attendamus, jam inde a Ven. Bedæ (*Hist. Ecc. lib. IV. c.* 2., *Migne P. lat. tom.* 95. *p.* 174.) temporibus disciplinas arithmeticas generatim dictas fuisse *ecclesiasticas*, quod ab ecclesiasticis usibus et literis famularentur et collaborarent.

in 4. Auctor obiit a. 1558. annorum 83 : tristi mortis genere extinctus.

GAZA (THEODORUS), homo grammaticus, natione *Græcus, Thessalonicensis* patria, in Italiam venit, quando Amurathes, Turcarum imperator, victricibus armis Græciam devastaverat. Scripsit præter alia patrio sermone librum *de Mensibus atticis*, in quo Computi aliarumque cum illo cognatarum disciplinarum non inscium se ostendit. Gazæi *de Mensibus* librum post *Petavium* iterum edidit *Migne Patrol. græc. tom.* 19, *pag.* 1167.

GERLANDUS *al.* GARLANDUS, *Lotharingus* natione, in scientia Computi medio sæculo X. versatissimus, librum scripsit *de Computo ecclesiastico*, qui 35. capitulis constat. Plura de eo vide apud *Bernard. Pezium in Dissertat. isagog. in tom.* 2 *Thesaur. anecdot. p. XXV.*

GESSAIN (N.) natione *Gallus*, mathematum peritia claruit medio sæculo XVIII. scripsitque Computum ecclesiasticum cum Kalendario ac variis problematis Kalendariographicis hoc titulo : *Calendrier perpétuel pour connaître la Pâque, les Fêtes mobiles et leur rencontre avec les Fêtes fixes de chaque année, Paris* 1743., opus — sententia *PP. Trivultianorum* — magnopere commendandum atque ad vitam perutile. Cfr. *Act. Triv. an. cit. mense april. p.* 755.

GILDA (NENNIUS), *Hibernicus* gente, instituto vitæ monachus, claruit circa a. 830. Exstat ejusdem liber *de Computo ecclesiastico ad Rabanum Maurum Fuldensem* adhuc *monachum*, de quo confer *Iac. Usserium Armachan. in Syllogo veterum epistolarum Hibernicarum. Dublini* 1632. De *Gilda* etiam legatur *Oudin. ad. an.* 830. (*tom.* 2. *p.* 71).

GONGORA TORREBLANCA (GARCIAS DE), gente *Navarrus*, floruit sæc XVII. scripsitque *Tratado de Matematicas del Computo y reformacion del Tiempo. Pampelone* 1628, *in-fol.*

GRANOLLACHS (BERNARDUS DE), artium et medicinæ doctor *Barcinonensis*, claruit sæc. XV. Scripsit hispanice *Sumario de Astronomia y Computo*, qui liber etiam in versione italica exstat.

GUILIELMUS *al.* WILHELMUS, abbas ab anno 1068. *Hirsaugiensis* in diœcesi Spirensi, defunctus a. 1091., de quo post alios *Migne. P. L. tom.* 150. *p.* 890. Inter cætera habentur ejus *Quæstiones de Computo.*

GULDIN (PAULUS), S. I., patria *Sancto-Gallensis*, hæreticus parentibus natus a. 1577. et *Habacuc* vocatus, Frisingæ ad fidem catholicam

adductus *Pauli* nomen assumpsit. Rerum mathematicarum scientissimus mathesim Græcii ac Viennæ publice magna cum approbatione docuit ac præter alia scripsit *Refutationem elenchi Calendarii Gregoriani a Setho Calvisio conscripti*. In ea vero a calumniis defenditur Calendarium Gregorianum ejusque explicator *Christophorus Clavius*, rejectis etiam pseudo-kalendariis acatholicorum. Obiit Græcii a. 1643.

H.

HAMBERGER (Georg. Alb.), *Franco*, obiit Ienæ a. 1716. ætatis 54. Vir non mediocri mathematum scientia spectandus defensionem Kalendarii reformati protestantium scripsit hoc titulo : *de Basi Computi ecclesiastici. Ienæ* 1708. Confer *Acta Eruditorum Lipsien. ad ann.* 1708. *mense jun. p.* 273.

HELPERICUS *al.* CHILPERICUS, Sancti-Galli *monacus et decanus* claruit sæc. X. *Oudino* teste *de Script. ecc. tom.* II, *p.* 480., anno 975., tractatum scripsit *de Computo ecclesiastico ad Asprum* qui exstat apud *Bern. Pez. Thes. anecdot. tom.* II, *part.* II, *pp.* 182-222. Creditur vixisse Hilpericus usque ad an. 1000 et ultra.

HERBESTUS (Benedictus), S. I., natione *Roxolanus* patria *Novomiastrensis*, tam politioribus quam severioribus literis insigniter excultus, præter alia scripsit ante emendationem Kalendarii Gregoriani : *de Computo ecclesiastico lib.* II. De eo confer Sotvellum in *Bibl. S. I.*

HERICUS *al.* HERICUS. Vide ERICUS.

HESRONITA (Michael), *Maronita*, archipresbyter et abbas S. Georgii in *Monte Libano* 1637. Romæ *lingua syriaca* edidit *Kalendarium juxta antiquum Orientalium Computum, quo jejunia et festa mobilia singulis annis atque in perpetuum facillime reperiuntur*. Kalendarium istud *Athanasius Kircher* nuncupat *Syriacas in Computum ecclesiasticum Institutiones* easque mirifice laudat : magnum inde Orientali Ecclesiæ emolumentum adcessurum affirmans. *Miræus de Script. ecc. sæc.* XVII, *cap.* 213.

HIPPOLYTUS (Portuensis), S. Irenæi discipulus et Origeni coævus, martyr sanctissimus. Convenit inter omnes, fuisse eum Episcopum, sed cujusnam urbis, adhuc incertum est. Neque id notum fuit *Eusebio* (Cfr. *Hist. Ecc. lib.* VI, *c.* 20. apud *Migne P. gr. t.* 20, *p.* 571), neque *S. Hieronymo* (Cfr. *de Viris illustribus c.* 61, apud

Migne P. lat. t. 23, *p.* 671). Hieronymo teste, scripsit *rationem Paschæ temporumque canones et sexdecim annorum circulum, quem Græci* Ἑκκαιδεκαετηρίδα *vocant, reperit. Ægidius Bucherius* latine Paschalem hunc canonem reddidit atque erudito commentario explicavit. Vide *Migne P. gr. tom.* 10, *p.* 886.

HORREBOWIUS (PETRUS), natione *Danus*, vir eximia mathematum cognitione instructus Universitatem Havniensem doctrinæ fama illustravit sæculo proxime evoluto. Tres methodos Paschales receptas (*Julianam*, *Gregorianam* et *Protestantium*) nævis laborare contendens, malo communi remedium allaturus librum edidit, qui inscribitur : *Consilium de nova methodo Paschali ad perfectum statum perducenda ac deinceps omnibus Christianis commendanda. Havniæ* 1738. in 4. Auctorem pleniore ore laudant *Lipsienses in Actis Eruditorum supplement. tom* VI, *an.* 1749, *p.* 135.

I.

INNOCENTIUS PP. I., S., epistolam scripsit *de Ratione Paschali anni* 414., quæ est 14. inter epistolas hujus Pontificis apud *Migne Pat. lat. tom.* 20, *p.* 517.

IRENÆUS, S., *Lugdunensis* Episcopus, S. Polycarpi quondam auditor, vir in divinis Scripturis studiosus et valde eruditus, multa egregie scripsit. Quæ supersunt complexus est *Migne Patr. gr. tom* 7. Plures mota inter Victorem Papam et Asianos Episcopos super Paschate celebrando quæstione scripsit epistolas quarum *Eusebius Hist. Ecc. lib. V*, *c.* 24 (*l. c. tom* 20, *p.* 500.) meminit.

ISAACUS. Vide ARGYRUS.

ISIDORUS, S., *Hispalensis* Episcopus, *magnus Hispaniarum doctor* justo elogio ornatus, floruit sæc VII. In eruditissimis hujus auctoris operibus (quæ exstant in *Patr. lat. edit. Migne tt.* 81-85.) multa reperiuntur ad Computum ecclesiasticum pertinentia.

J.

IOANNES CAMPANUS, natione *Lombardus*, philosophus et astronomus *Trithemii* judicio *de Script. ecc. c.* 324, *omnium opinione suo*

tempore celeberrimus, floruit sæc. XI, scripsitque librum *de Computo ecclesiastico*, ac *Calendarium*. Obiit circa a. 1040.

IOANNES CONSTANTIENSIS, calculator et computista insignis, claruit circa a. 1120, scripsitque librum cui titulus : *Computus ecclesiasticus*; in eo *de mari magno et spatioso compotorum*, ut ipse ait in Præfatione, *ea quæ necessariora sunt sustentationi regiminique sanctæ Dei Ecclesiæ compendiose decerpta in unum conscripsit et scribendo planiore vulgatiorique sermone, sicut introducendis pueris fieri solet, etiam nomina rerum et verba interpretando, vel etymologias enucleando, cunctis patefecit.* Vide *Migne Pat. lat. tom.* 163., *p.* 140.

IOANNES, gente *Hispanus*, primum monasterii cujusdam abbas, deinde Ecclesiæ *Cæsaraugustanæ* præsul factus circa an. 615., obiit anno 627. Scripsit librum de investigando Paschate, *S. Ildephonso* teste *de Viris illustr. c.* 6, *annotando inquirendæ Paschalis solemnitatis tam subtile atque utile argumentum, ut lectori et brevitas contracta et veritatis placeat patefacta. Migne Pat. lat. tom.* 96, *pag.* 201.

IOANNES PHILOPONUS a studiorum assiduitate dictus, genere *Alexandrinus*, grammaticus suæ artis doctissimus, Tritheitarum sectæ antesignanus, disputationem *de Paschate* scripsit. Vixit circa a. 601. De Philopono confer inter alios *Oudin. de Script. ecc. ad an.* 580. *tom. I.*, *p.* 1466.

IULIUS Q. HILARIANUS, sæculo IV. desinente claruit. Anno 397. recognovit et emendavit, quod superiore anno scripserat, opusculum *de Paschali circulo*, sive *Expositum de die Paschæ et mensis*. Exstat in *Patrol. lat. edit. Migne tom.* 13. *p.* 1106.

K.

KALWITZ. Vide CALVISIUS.

KAVINA (PETRUS MARIA), natione *Italus*, patria *Faventinus*, omnigenæ antiquitatis rerumque mathematicarum peritia insignis, floruit sæc. XVII. vulgavitque multa quovis pretio digna. Ex his *Cycli Paschalis Gregoriani assertio adversus Anonymum quemdam. Faventiæ* 1666. *in* 8,

KLAUSINGIUS (HERMANNUS), natione *Germanus*, vir mathematum peritia cum paucis conferendus, inter defensores Kalendarii reformati protestantium anni 1699. excelluit. Exstat ejus *Tractatus de optima*

temporum emendatione. Italæ 1733. De *Klausingio* vide *Goetten. das Gelchrte Europa* 1736.

L.

LALANDE. Vide DE LALANDE.

LALLEMANT (IOANNES), patria *Augustodunensis*, professione medicus, mathematicis studiis apprime excultus, claruit sæc. XVI. scripsitque tractatum *de Collatione anni Romani præcipuarumque gentium exterarum*.

LAMBERTUS, artis computatoriæ magister sæc. XI., opus de ratione temporum scripsit ad *Engilscalcum archipresbyterum*, quod sub titulo: *Ratio et brevis expositio de Computo* haberi *ms.* in Bibliotheca Zwetlensi monet *Pez. Thes. anecdot. tom. 2. Dissert. isagog. pag. XXV.*

LARCHER (NATALIS), mathematum laude floruit in *Galliis* medio sæculo XVIII scripsitque opus *de Computo ecclesiastico* sex omnino partibus constans, cui titulum vulgarem posuit *Almanach et Calendrier journalier, perpétuel et universel. Paris* 1746. Cfr. *Acta Trivultian, ad an. cit. p.* 2675.

LEBEUF (IOANNES), natione *Gallus*, patria *Antissiodorensis*, natus a. 1687., defunctus a. 1760. Vir *Felleri* sententia *Biograph. univers.* ad prodigium usque in omnigena scientia versatissimus pluribus editis libris ac commentariis celebris inter cætera de argumento nostro vulgavit: *Lettre sur un Calendrier ecclesiastique* an. 1726 (apud *Desmoletz*); *Observations sur les lunaisons.... sur l'embolisme, le saut de la lune, l'annonce de la fête de Pâques, les cycles, Tables Paschales, vers des anciens calendriers.* (*Mercure de France, févr.* 1728.)

LECCESTRIUS (ROBERTUS), *Anglus*, ord. Minorum, apud Oxonienses sæculo XIV. philosophiæ et theologiæ laude clarus, scripsit *de Ratione temporum.* Confer *Wadding scriptor ord. Min.*

LESSINIA (ÆGIDIUS A), ortus Lessiniæ, oppido in finibus Hannoniæ et Flandriæ, ord. Prædicat, floruit ætate S. Thomæ Aquinatis in conventu S. Iacobi Parisiis scripsitque *de Computo naturali et ecclesiastico* de quo plura vide apud *Quetif Scriptor. ord. Prædicat. tom. I. pag.* 372.

LEVERA (FRANCISCUS), *Romanus*, astronomus et mathematicus

sæculi XVII., præter duo opera astronomica edita Romæ annis 1663, et 1664.— Gregorianam Kalendarii emendationem castigandam ratus —evulgavit *Dissertationem de die, quo festum Paschæ celebrandum est hoc anno* 1666. Leveram confutavit P. Petit, ut suo loco dicemus.

LILIUS (ALOYSIUS), Antonii frater, patria *Veronensis*, inter tam multos, qui formam cycli lunæ perpetui et sedis æquinoctiorum stabilis excogitarunt, palmam tulit apud Gregorium PP. XIII., a Clavio aliisque mathematicis justo elogio sui sæculi *Sosigenes* appellatus. Libri, quem *de Restitutione anni et Kalendarii ecclesiastici* scripsit, compendium Romæ excusum fuit a. 1578 atque a Summo Pontifice postea ad christianos principes et peritos mathematicos transmissum.

LINGHAM *al.* LYNHAM (RADULPHUS DE), natione *Anglus*, illustris sæculo XIII. mathematicus, circa annum 1257 auctor fuit *Calendarii ecclesiastici*, quod partim prosa, partim carmine scripsit. Prodiit inter opera *Ven. Bedæ* sub nomine *Ephemeridum* cum tractatu *Embolismorum* sequente: apud *Migne Patrol lat. tom.* 90. *pag.* 727. In fine libri plures ex iis versibus posuit, quos commentario inseruimus. Postremo loco *anni dies* extremis hisce hexametris exhibentur:

L. X. V. tria CCC, sex horas continet annus
Hæc bissextilem dant quarto quolibet anno.

LOUBERIUS (SIMON DE LA), *Gallus* natione, domo *Tolosas*, celeberrimus regis Galliarum ad regem Siamensem ablegatus annis 1687 et 1688, obiit a. 1729. annorum 84. Vir fuit nobilis ingenii ac plura scripsit, e quibus ad rem nostram pertinent, quæ *tom. II. Commentariorum de itinere Siamensi* habet de *Elegantiis systematis Kalendarii Gregoriani* deque admirabili ejusdem præstantia ob conformitatem Epactarum Lilianarum cum motibus lunisolaribus. Louberii opus brevi in conspectu descriptum vide apud *Lipsienses in Actis Erudit. ad an.* 1692. *mense octob. pp.* 491 *seqq.*

M.

MACROBIUS (AURELIUS) vixit Honorii et Theodosii Jun. temporibus, h. e. exeunte sæculo Christi IV. scripsitque commentaria in *Ciceronem de Somno Scipionis* et *Saturnalium* seu conviviorum *libros* 7; in quibus plura sunt, quæ in Computo declarantur. Incerta res est de religione Macrobii aliis eum christianis, aliis contra ethnicis adnumerantibus.

MAHOUDEAU (IOAN. MATTHÆUS), S. I., natione *Gallus*, vir præstans ingenio et doctrina, anno 1728., in *Diario Trivultiano* dissertationem *D. Cassinii de Æquationibus mensium lunarium* oppugnavit, edito hoc ad vindicandum Kalendarium Gregorianum commentario: *Analyse astronomique de l'hypothèse lunaire du Calendrier Grégorien*. Confer dicta monumenta Trivultiana ad *an. cit. mense August. art.* 78. *pag.* 1435, et *septembr. art.* 87, *pag.* 1639.

MANFREDUS, auctor anni incerti, Computum scripsit, qui habetur *tomo I.* operum *Ven. Bedæ* (*Migne, t.* 90. *p.* 821). Confer etiam *tom.* 94, *pag.* 642.

MANFREDUS (EUSTACHIUS), *Bononiensis*, natus a. 1674, obiit 1739. Vir fuit in omnigena scientia versatissimus, atque in mathematicis et astronomicis præsertim vix habuit suo ævo in Italia parem. In causa reformationis Kalendarii Gregoriani edidit *Epistolam ad Dominicum Quartaironum, qua Anonymi assertiones XVI. pro reformatione Kalendarii ab illo impugnatæ vindicantur, Venetiis* 1705, *in-fol.* Ad rem nostram etiam facit ejus operum *tom. IV edit. Bonon.*, 1744, qui est *de Chronologia ac Kalendario romano*. Cfr. *Acta Eruditorum Lipsien. ad an.* 1748, *mense octob.*, *pag.* 591.

MANGOLD (IOSEPH), S. I., *Rhelingensis*, *Suevus*, nat. a. 1716. obiit 1787. Clari vir nominis in universitate Ingolstadiensi, primum philosophiæ, deinde theologiæ professor præter alia in lucem edidit *Institutiones philosophiæ* tribus tomis comprehensas, in quarum ultimo *canones Kalendarii* tradit. Mangoldo, ut viro omnibus rebus præcellenti, Pius PP. VI., Augustam transiens a. 1782. magnos honores habuit ac *venerabilis Patris* nomen publice tribuit.

MAPHÆUS (THOMAS), *Neapolitanus*, Gregorianum Kalendarium emendandum contendens, scripsit *de Cyclorum soli-lunarium inconstantia et emendatione. Venetiis* 1706 *in* 4. Operis conspectum habes in *Actis Eruditorum Lipsien. ad an.* 1808. *mense januarii pag.* 32.

MARALDI (IACOB. PHILIP.), *Italus*, Cassinii ex sorore nepos, astronomus laudatissimus, natus. a. 1666. obiit a. 1729. Pro avunculo scripsit in *Diario Trivultiano* a. 1730.: mense *januar. art.* 4. *p.*72. et *m. februar. artic.* 12 *pag.* 240. : *Réflexions de M. Miraldi sur la dissertation du R. P. Mahoudeau*. Laudes Maraldii complexus est *Fontenelle* in elogiis academicorum.

MARIANUS, *Scotus* gente, monachus Fuldensis, *vir*, ut ait *Tri-*

themius de Script. ecc. c. 340., *in divinis Scripturis eruditus et sæcularium literarum non ignarus, historiographus et computista insignis*, obiit a. 1086. Ad rem nostram inter ejus opera exstat *Tractatus de universali Computo et emendatione Dionysiani Cycli.*

MARTINUS, BRACARENSIS Episcopus, gente *Pannonius*, juvenis adhuc ad visitanda loca sancta Hierosolymam petiit. Inde solvens *Gallæciam Hispaniæ* appulit, ubi plurimis e Suevorum gente ad fidem catholicam conversis varia condidit monasteria et ipse Dumiensi a se fundato præfuit usque ad an. circiter 560., quo in Ecclesiæ Bracarensis episcopatum evectus est. Scripsit librum *de Paschate*. Conferri de eo potest *Nic. Anton. Bibl. Hisp. vet. tom.* 1. *pag.* 284.

MARTIUS. Vide THEOPHILUS.

MATTHÆUS, calculandi peritia conspicuus sæculo XIII., *Computum ecclesiasticum* scripsit, de quo plura vide apud *Pezium in Dissertat. isagog. in tom.* 2 *Thesaur. anecdot . pag.* XXVI.

MAUGERAYE (P. DE LA), S. I., *Gallus* natione, vir in astronomia apprime exercitatus, Gregorianam Kalendarii formam egregie vindicavit edita ejus in *Actis Trivultianis, mense octob.* 1727. *pag.* 1784. defensione : *la Beauté du Calendrier grégorien démontrée par le P. Maugeraye*. Conferri etiam de P. Maugeraye possunt, quæ habent *PP. Trivultiani ad an.* 1736. *mense april. pag.* 640.

MAURUS. Vide RABANUS.

MAXIMUS, S., *Constantinopolitanus,* strenuus catholicæ fidei pugil adversus Monothelitarum hæresim a. 662 obiit exilio aliisque ærumnis vexatus. Inter alia scripsit opus *de Computo ecclesiastico duobus libris constans,* quod post *Petav. in Uranologio* græce et latine iterum edidit *Migne Pat. gr. tom.* 19. *pag.* 1217.

MELITO, *Asianus*, *Sardensium* episcopus, summa laude viguit sæc. II. scripsitque plurima opera, quæ percenset *Euseb. Histor. Ecc. l.* IV *c.* 26 (*Migne P. gr. t.* 20 *pag.* 391). Ex iis huc spectant *de Paschate libri* II. quos composuit occasione controversiæ de die Paschatis celebranda.

MELITO (A PERPINIANO), natione *Gallus,* vitæ instituto religiosus ord. Capuccinorum, in doctrina temporum egregie versatus, pro defensione Kalendarii Gregoriani adversus Bettazium edidit medio sæculo proxime evoluto : *Apologiam pro Calendario seu Computo Pascali, cujusmodi hodie est*. Addidit deinde *Ad R. Iacobum Bettazzi epistolam animadversoriam*.

METRODORUS, incertæ ætatis scriptor, *Photio* teste *Bibl. cod.* 115, *Calculum* confecit *de sacro Paschæ festo ex novemdecennalibus cyclis viginti octo invicem multiplicatis (Migne P. gr. t.* 103, *p.* 391). Sunt qui conjiciant, Metrodorum sæculo III. *exeunte vixisse.*

MILLIET. Vide CHALES.

MOLETIUS (Iosephus), oriundus *Messana* in Sicilia a. 1531., mathematum professor Patavii creatus, multa scripsit pro Kalendarii reformatione. Amplissimis a Gregorio PP. XIII, et a Venetis decoratus præmiis obiit 1588.

MONTER (Benedictus), presbyter oppidi Sancti Culgat de Vals principatus *Cataloniæ,* edidit hispanico sermone : *Computo ecclesiastico, Barcinone* 1612 *in* 8.

MONTI (Urbanus), patria *Mediolanensis*, calculandi arte peritus, inter ea quæ scripsit, exstat opusculum sub hoc titulo : *Delle cause, modo e necessita della correctione del Calendario fatta da Gregorio* XIII. Cfr. *Zaccaria in Bibl. Rit. tom,* 3.

MORETUS (Theodorus), S.I., natione *Belga*, patria *Antverpiensis, vir* ut ait *Sotvel in Bibl. S. I. in omni genere scientiarum bene versatus,* obiit Wrastilaviæ a. 1667. æt. 65. Ex plurimis ejus operibus ad rem nostram pertinet liber *de Luna Paschali et solis motu. Wratislaviæ* 1666. *in* 4.

MULLER (Ioannes), *Regiomontanus,* notior cognomine *de Monte Regio*, Germaniæ decus et *Magnus* vocatus. Romam a. 1475. a Sixto PP. IV. qui absentem jam designarat Episcopum *Ratisbonensem*, ad Kalendarii correctionem evocatus est. Hinc librum scripsit *de Instauratione Kalendarii Ecclesiæ.* Sed rebus infectis obiit a. 1476., annorum 41, sepultusque in Pantheone.

MURIS (1) (Ioannes de), *Balæo* teste *Cent.* XI *de Script. Britan., Anglus,* instituto monachus, bonarum artium magister, a. 1330 scripsit *de Regulis Calendarii,* quas *Middelburgensis de Pass. Domini lib.* IV expendit. Anno 1454 confecit tractatum *de Tempore celebrationis paschalis ad Innocentium* VI.

N.

NENNIUS. Vide GILDA.

NICEPHORUS GREGORAS, *Heracleensis* historicus, editis operi-

(1) *Al.* DE THERMIS.

busclarus, floruit sæc. XIV. scripsitque, teste *Du Fresne in Glossar.*, *de Cyclo paschali ac Computo ecclesiastico.*

NIGRELLUS, honorifico *Magistri* titulo appellatus, auctor incertæ ætatis, scripsit *Artem Computi*, de qua vide *Pezium Dissert. isagog. in tom. 2 Thes. anecdot. pag.* XXVI.

NORIS, seu NORISIUS (Henricus), *Italus*, patria *Veronensis*, ord. Eremitarum S. Augustini, S. R. E. Cardinalis, orbi erudito doctissimis, quæ ingenii sui reliquit monumentis satis notus, Romæ concessit naturæ a. 1704. ætatis 73. Ejus vitam eleganter scripsit *Fr. Bianchini* qui olim secretarium egerat *Congregationis de Kalendarii emendatione* sub Norisio præfecto. De rebus ad Computum spectantibus passim disseruit, præsertim in suis Commentariis ad Hippolytum Portuensem episcopum et in dissertationibus *de Paschali Latinorum cyclo annorum* 84., et *de Cyclo Paschali Ravennate annorum* 95. Cfr. *Acta eruditorum Lipsien. ad an.* 1692. *mense april. pag.* 187.

NOVATIANUS, presbyter *Romanus*, auctor schismatis adversus Cornelium papam, *S. Hieronymo* teste *de Viris illustr.* c. 70, librum scripsit *de Pascha.* (*Migne, P. l. t.* 23. *p.* 681.)

O.

OZANAMUS (Iacobus), natione *Gallus*, e principatu *Dombensi*, pluribus editis libris de rebus mathematicis clarus, obiit a. 1717., ætatis 77. Ad rem nostram facit tom. II. operis: *Récréations mathématiques et physiques*, ubi *problemata ad Kalendariographiam spectantia* explicantur.

P.

PADOVANO (Ioannes), *Italus*, philosophiæ laude clarus sæc. XVI. *Zaccaria Bibl. Rit.* indicat ab eo scriptum *de Anno innovando opusculum in quo anni usualis turbatio fastorumque inordinatio ex temporum decursu procreata enucleatur : unde et quædam eliciuntur documenta juxta luminarium cursum, quæ ad Resurrectionis Pascha reliquaque festa, tum mobilia, tum stabilia, erunt admodum necessaria. Veronæ* 1575.

PANDULPHUS, *Capuanus*, ac presbyter monachus in Casino sub De-

siderio abbate, *divina sæcularique literatura eruditus*, ut habet *Petrus Diacon. de Viris ill. Casinen. c.* 26., plura scripsit ad Computum pertinentia, quæ idem *Petrus recenset l. c.* Floruit medio sæc. XI.

PASCHASINUS, *Lylibetanus* in *Sicilia* Episcopus, in *Chalcedonensi* concilii Summi Pontificis legatus, ad S. Leonem epistolam scripsit *de Paschatis observatione* quæ exstat inter epistolas S. Leonis apud *Migne P. l. tom.* 54. *p.* 676. Vixit sæc. VI.

PAULUS MIDDELBURGENSIS, oriundus Middelburgo in *Zelandia*, Episcopus *Forosemproniensis* in Italia, floruit sæc. XV. exeunte et initio XVI. scripsitque ad Leonem PP. X. *de Emendatione Kalendarii libros* 14. et ad Maximilianum I. imp. *de Anno et die Nativitatis ac Passionis Christi libros* 18., de quibus videri potest *Petav. Doctrina temporum prolegom. c.* 4. Obiit a. 1523.

PENON (FRANCISCUS), *Gallus, Aurelianensis,* ord. Prædicatorum obiit a. 1699. ætatis 76. *Quetif scriptor. ord. Prædicat.* indicat ab eo scriptum opus *de Doctrina Temporum*. (Tom. II, p. 749).

PETAVIUS (DIONYSIUS), *Aurelianensis*, S. I., theologus vere illustris, eximius sacræ Scripturæ interpres, linguarum peritissimus ac temporum sagacissimus scrutator, vir ad prodigium usque omni literarum genere excultissimus, egregia plane ingenii sui monumenta posteritati reliquit. Excessit. Parisiis 11. decemb. a. 1652., annorum 69. Ex laudatissimis ejus libris huc spectant 1° opus *de Doctrina temporum, quod* 2. *tom. in fol.* prodiit ; 2° *Uranologium*, sive systema variorum auctorum, qui de sphæra ac sideribus græce commentati sunt ; 3° *Rationarium temporum*.

PETIT (PETRUS), *Gallus*, peritia rerum mathematicarum clarus sæculo XVII. Gregorianum Kalendarium adversus *Leveræ* dissertationem propugnavit, edito commentario in *Diario* Parisiensi *des Savants : de die quo Pascha a.* 1666 *celebrandum erat.* Cfr. *Diar cit. ad an.* 1666. *p.* 334 et *p.* 388.

PETRUS CRACOVIENSIS, auctor est *Computi Ecclesiastici* editi *Coloniæ* per *Lud. Reuchen*, de quo vide *Zaccaria* in *Bibl. Rit.*

PHILIPPI (HENRICUS), S. I., patria *Arduennas* ex S. Huberto in ducatu *Luxemburgensi*, obiit a. 1636., ætatis 62. Vir fuit humanarum atque divinarum literarum cognitione insigniter ornatus scripsitque plures tractatus de rebus chronographicis. Vide *Alegamb.* seu *Sotvel* in *Bibliothec. S. I.*

PHILIPPUS. Vide THEOPHILUS, *Cæsariensis* Episcopus.

PHILOPONUS. Vide IOANNES.

PICCOLOMINEUS (ALEXANDER), *Senensis*, *Patrarum* archiepiscopus, in quo *incredibilis in omnium laudandarum artium genere, doctrinæ copia, et in eisdem tradendis perspicuitas* laudatur, obiit a. 1578. Ante Kalendarii reformationem edidit libellum *de Nova ecclesiastici Calendarii pro legitimo Paschalis celebrationis tempore restituendi forma.*

PIGHIUS (ALBERTUS), celeberrimus doctor *Lovaniensis*, claruit sæc. XVI. Dum Lovanii adolescens. a. 1520 in theologica palæstra versabatur, scripsit ad Leonem PP. X. *de Ratione Paschalis celebrationis deque restitutione Kalendarii.* Obiit a. 1543. Confer Miræum *Scriptor. sæc.* XVI.

PILATUS (LEOPOLDUS), S. R. I., baro, canonicus *Tridentin.* et *Iaurinen.*, vir editis *Originibus juris Pontificii* aliisque operibus orbi literario satis notus, ad *Adulphum, Iaurinensem Episcopum* libellum scripsit *de Conciliandis annis juliano et tropico*, quam una cum annotationibus Hambergeri vide in *Actis Eruditorum Lipsien. ad. an.* 1735 *mense februar.* pag. 80.

PITATUS (PETRUS), *Italus*, *Veronensis*, celebratissimus mathematum professor sæc. XVI., in causa reformationis Kalendarii Juliani suam operam cum aliorum mathematicorum opera jungens inter alia edidit : 1° *Veros Paschales atque noviluniorum canones*, *Venetiis* 1537 in 4.; 2° *Compendium super annua solaris et lunaris anni quantitate termino Paschatis, Romani Calendarii instauratione. Veronæ* 1560 in 4.

PITTONIUS (IOANNES BAPTISTA), *Venetus*, juris liturgici ac Computi scientissimus, a. 1740. edidit *Calendarium Romanum decennale cum notis.*

POLYCRATES, *Ephesiorum* Episcopus, e synodo sua epistolam dedit ad Victorem papam super controversia de Paschate. Ejus fragmentum servavit *Euseb. Hist. Eccl. lib.* V. *c.* 24. *(Migne, P. gr. tom.* 20 p. 494.)

PORTO (EMMANUEL) sub anagrammatico nomine *Ermanù Polito* edidit *Perpetuo Calendario, e facil metodo per saper qualsivoglia anno l'aureo numero, il siclo solare, l'inditione Romana, l'Epatta, il far della luna, la Pasqua, tutte le feste mobili, Avvento et quattro Tempora, il tutto conforme allo stil vecchio e nuovo, etc. Patavii a.* 1644. in 4.

POSSEVINUS (ANTONIUS), S. I., *Mantuanus*, a Gregorio PP. XIII. gravissimis legationibus adhibitus, plurima volumina elucubravit quæ ipsius doctrinæ magnitudinem et inexhaustum legendi studium cum acerrimo conjunctum judicio luculenter ostendunt. Obiit a. 1611., ætatis 78. Ex ejus operibus huc faciunt, quæ *de Erroribus adversantium Kalendario emendato* scripsit adversus *Davidem Chytræum* (Kochhafen), lutheranorum antesignanum. Cfr. *Nicéron Mémoires.*

PROTERIUS, anno 451 deposito a synodo Chalcedonensi Dioscoro, in Episcopum *Alexandrinum* electus, scripsit a. 455. epistolam ad *Leonem papam*. Cfr. *Migne, Pat. lat. tom.* 54 *pag.* 1100.

PURCHOTIUS (EDMUNDUS), *Gallus*, patria *Senonensis*, I. U. licentiatus, Parisiensis Academiæ rector, *Institutiones philosophicas* perspicua methodo dispositas vulgavit 5. tomis. *Venetiis a.* 1733. Regulas Computi tradit *tom.* 3.

PUTEANUS (ERYCUS), natione *Belga*, oriundus a *Venloa*, celeberrimus doctor ac professor Lovaniensis sæc. XVII., cessit e vita a. 1646., ætatis 72. Vir fuit apud Lovanienses antiquitatis literarumque cum hujus studio cognatarum peritia valde insignis, scripsitque ejus commentariis nonnulla exstant in *Grævii thesauro antiquit. Rom.*

Q.

QUARTAIRONIUS (DOMINICUS), *Italus*, mota quæstione de emendatione Kalendarii Gregoriani, scripsit *Responsiones ad nonnullas assertiones* (Dominici Cassinii) *pro reformatione Kalendarii Gregoriani. Romæ ex typographia Cameræ Apostolicæ* 1703. *in fol.* Vide MANFREDUS EUSTACH. et CASSINI DOMINIC.

QUESNELLUS (CONRADUS), *Suecus*, mathematum in Acad. Car. professor ord. floruit sub finem sæc. XVII. et initium XVIII. scripsitque *Computum Cyclicum verum et tam Julianum quam Gregorianum ecclesiasticum. Londini Gothorum. anno* 1718. 8°.

R.

RABANUS MAURUS, ex abbate Fuldensi Archiepiscopus Moguntinus, cui nullum parem eo tempore Germania habuit, floruit medio sæculo IX. Inter plurima ejus opera exstat *liber de Computo*, in quo hanc disciplinam, *quam constat* — verba sunt ipsius Rabani — *omnium disciplinarum esse magistram, non tantummodo propriis ratiocinatio-*

nibus, sed etiam ex antiquorum dictis et sanctorum Patrum sententiis enodare curavit. Recusus est in *Pat. l. Migne tom.* 107. *p.* 669.

REBEQUE (DE). S. I., clarus in Galliis astronomus et mathematicus initio sæculi superioris, nactus occasionem ab aliqua impugnatione Kalendarii Gregoriani in diario : *Journal historique, anni* 1722. *mense decemb.*, Gregorianam reformationem vindicavit edito libello : *Remarques sur le calcul ecclésiastique des fêtes mobiles, qui est en usage dans l'Eglise depuis la réformation du Calendrier.* Exstat apud *Patres Trivultianos ad an.* 1724. *mense martio art.* 24. *p.* 523 — 559. In eorumdem actis *an.* 1739. *mense mart. art.* 26. *p.* 514. habentur etiam ejusdem observationes in tabulas astronomicas *De la Hire*, gallice redditas editasque a. 1735. Ejusdem auctoris etiam est *Calendrier curieux sive Calendrier du monde.* Aire (Flandre), opus in *Actis Triv.* maxime commendatum, *mense junio an.* 1743.

REGIOMONTANUS. Vide MULLER.

RHEMENSIS SCHOLAS, *Remigii*, teste *I. Launojo de Schol. celebr.* ipsa Parisiensi olim illustrior, per plura sæcula cum aliis literarum studiis florebat, tum præcipue *Computi ecclesiastici* rationem diligentissime tradebat in eoque cæteris illius regni ecclesiis lucem præferebat. Vide *Hist. cycli Dionys.* apud *Migne P. lat., t.* 67. p. 472.

RHO (IACOBUS) sive *Raudensis, Mediolanensis,* S. I., insignis, astronomus, philosophus, theologus ac missionarius Sinarum, improbo multorum annorum labore, *Pro reformatione Calendarii Sinensis ad* 150. *volumina* conscripsit, cum magna totius illius regni admiratione. Ad laborum præmia evocatus obiit Pechini a. 1638. annorum 48.

RICCIOLUS (IOANNES BAPTISTA), S. I., natione *Italus, Ferrariensis,* natus a. 1598. Bononiæ cessit e vita a. 1671. Vir multis literis excellenter præcultus et magni nominis præsertim post edita opera astronomica *(Almagest. nov.)* plures libros — *de Ratione temporum* etiam — scripsit, quorum indicem exhibet *Sotvel.* in *Bibl. Soc. I.*

RICHARDUS, natione *Anglus,* abbas Præmonstratensis, floruit circa a. 1180. Juxta *Balæum script. Brit.*, librum scripsit *de Computo ecclesiastico.* Conferri de Richardo possunt, quæ habet *Oudinus Script. ecc. tom.* 2. *p.* 1521.

RIVARD (CAROL. FRANCISC.), *Lotharingus* gente, ab oppido *Neufchâteau,* regius mathematum professor Parisiis, obiit a. 1778., ætat. 81. Varia opera in lucem emisit, in quibus ad Kalendariographiam

spectant quæ habet de ratione temporum tum in *Institutionibus philosophicis*, tum in alio opere gallice scripto, cui titulus : *Éléments de Mathématiques.*

ROLENVICK (Wernerus), patria e *Laer*, oppidulo diœcesis Monasteriensis in regno Borussiæ, ord. Carthusian., obiit a. 1502. Ex ejus operibus memorandæ hic sunt : *Dissertationes duæ de Martyrologio Paschalique Luna, cum tabula ad inveniendam quotannis Septuagesimam.* Prodierunt a. 1472. in 4. Cfr. *Hartzheim Bibl. Colon.*

ROMANUS. Vide BRIOCO.

ROMAN DE MATAMOROS (Salvator), *Hispalensis,* confecit *Computum ecc.* sub titulo : *Perpetuale recens festorum mobilium, ubi septem capitibus multa peculiaria et regulæ circa hoc concinnantur.* Prodiit *Venetiis* hispanico-italice 1570.

ROZCISZEYSKI (Albertus), S. I., *Polonus,* obiit a. 1619. sexagenario major. Dum sæculares ac divinas literas pluribus in locis magna cum laude traderet, plura edidit Ecclesiæ catholicæ adversus hostes propugnandæ utilia. In his memoramus *Defensionem Kalendarii Gregoriani contra Latosium mathematicum* (1). Eam inscripsit polonice : *Latosie ciele,* h. e. *Latosii vitulus,* ob ineptias hominis, quem confutabat. Cfr. *Alegamb in Bibl. S. I.*

ROSENHEIM (Petrus de), prior inclyti monasterii *Mellicensis* in Austria, teste *Pezio Dissert. Isag. in tom. 2. Thesaur anecdot. Computum ecclesiasticum* scripsit circa a. 1419.

ROSINUS (Ioannes), *Eisenaci* in Thuringia ortus, professione grammaticus inclytæ apud suos famæ, edidit a. 1585. *Antiquitatum Romanarum libros* 10, in quibus multa ad Computum spectant. Obiit Rosinus a. 1626. ætatis 75. peste absumptus.

S.

SACROBOSCO (Ioannes de) — *Holywood,* — natione *Anglus,* matheseos Parisiis professor insignis, floruit sæculo XIII. scripsitque

(1) Lituani et Poloni ritus latini Kalendarium Gregorianum observare cœperunt temporibus *Stephani Battorii,* Poloniæ regis, anno 1584. Ex iis vero redire ad pristinos Kalendarii errores coacti sunt, qui in priori partitione regni Poloniæ sceptro Rossiaco obtigerunt. Cfr. *Comment. n.* 63, *p.* 61.

duos libros, alterum *de Sphæra*, alterum *de Computo ecclesiastico*, utrumque scholarum auctoritate atque usu diu probatum. Sepulchro ejus hoc fuit epitaphium incisum :

De Sacrobosco, qui compotista Ioannes
Tempora discrevit, jacet hic a tempore raptus.
Tempora qui sequeris, memor esto, quod morieris.
Si miser es, plora : miserans pro me, precor, ora.

SALON (IOANNES), *Hispanus, Valentinus*, ord. Minorum, rei chronographicæ in paucis peritus, Gregorii PP. XIII. jussu scripsit *de Emendatione Romani Kalendarii et Paschalis solemnitatis reductione. Florentiæ* 1572.

SAUVEUR (IOSEPHUS), natione *Gallus*, patria e *La Flèche*, obiit a. 1716., æt. 63. Vir præstantis ingenii et doctrinæ, præsertim mathematicæ, plura scripsit in *Actis Regiæ scientiarum academiæ Paris.* Ex his ad rem nostram pertinet *Kalendarium universale et perpetuum.* Plura de eo vide apud *Feller Biograph. universelle.*

SCALIGER (IOSEPHUS IUSTUS), natione *Gallus*, natus a. 1540., obiit 1609. Ut in eo fuit omnigenæ scientiæ insignis peritia, ita jactabundi atque hæretici hominis ubique eminuit audacia. Ex innumeris ejus operibus huc facit : *de Emendatione temporum. Lugduni Bat. an.* 1598 *in-fol.* De hoc libro videnda tamen sunt, quæ habet *Petav. de Doctrina Temp. passim.*

SCHALL (IOANNES ADAMUS), S. I., natione *Germanus*, patria *Coloniensis*, magnum Sinensis missionis columen sæc. XVII., supremus apud Sinas mathematici tribunalis præfectus, tribus imperatoribus summo in pretio fuit : magnifico *Magistri arcanorum cœlestium* titulo Cæsareo diplomate exornatus. Ad laborum suorum præmia migravit a. 1666., ætatis 75., Societatis Iesu initæ 55., et Sinensis missionis 44. Dum in opus Evangelii intentus viveret, plurima scripsit lingua Sinensi. In his ad rem nostram *Calendarium Sinense,* quod collatis cum P. Iac. Rho studiis edidit.

SCHONERUS (IOANNES), *Germanus,* natione, claruit exeunte sæc. XVI. et ineunte XVII. scripsit librum, cui titulus : *Computus ecclesiasticus Calendarii necessario reformati et correcti...... cum Paschate Calendarii veteris ejusque cum novi convenientia et differentia. Bambergæ* 1608.

SCHUCH (FRANCISCUS), S. I., natione *Suevus,* patria *Donawerthensis,* mathematicus insignis, disciplinas philosophicas profiteri cœpit in Academia Ingolstadiensi a. 1692. *De Correctione Calendarii* laudatissimam disquisitionem astronomicam edidit *Ingolstadii* a. 1699.

SCHULTETUS (BARTHOLOMÆUS), natus *Gorlitii,* in *Lusatia,* a. 1540. obiit 1614. Vir rerum mathematicarum peritia clarus, licet inter Protestantes viveret, tamen adversus vanas eorum objectiones contra Kalendarium Gregorianum scite respondit. Ejus est: *Calendarium ecclesiasticum et horoscopium perpetuum. Gorlitii a.* 1578. *in-*4. Conferri de eo potest *Possevin. Refut. advers. Chytræum c.* 9.

SEPULVEDA (IOANNES GENESIUS DE), *Hispanus, Cordubensis,* obiit a. 1572. octogenario major. Vir *scientiarum prope omnium,* ut ait *Iovius in Elogiis, validis instructus præsidiis,* multos libros edidit, in quibus. *de Correctione anni et mensium Romanorum. Venetiis apud Giolitum a.* 1546.

SICFARIUS, celeberrimus præceptor Computi medio sæculo IX., prior claustralis S. Remigii ac præpositus illustris scholæ Rhemensis, de literis optime meritus. De eo est inscriptio illa quondam januæ sive fronti ædium imposita, in quibus scholæ habebantur, quæ exstat apud *Migne Patrol. lat. tom.* 67. *pag.* 472. *nota f.*:

> *Huic claustro pollent studio loca compotis apta*
> *Sicfarii fulti solamine. Præposituram*
> *Ingenio decorans primam, etc.....*

Eam ita vertit *Henricus Eget l. c.*: *L'étude du Comput, dont Sicfarius a donné de solides règles, fleurit dans les écoles de ce monastère. Il a fait honneur à la dignité de prieur par son esprit....*

SIGEBERTUS, *Gallus Brabantus,* monachus *Gemblacensis,* claruit a. 1101. In juventute adhuc in monasterio Vincentiano apud Metenses scholam aperuit et monachos clericosque ad se venientes melioribus literis imbuit. Postea ad Gemblacum suum rediit et inter alia scripsit librum *de Computo ecclesiastico.* Sigebertus schismatis Henriciani fautor existens iniquior fuit in S. Gregorium VII et Paschalem II. PP. MM. Obiit a. 1112.

SOMERIUS (IOANNES), natione *Anglus,* ord. Minorum, celebris sui temporis astronomus, floruit exeunte sæculo XIV. scripsitque plurima ad Kalendarium spectantia, de quibus cfr. *Wadding. Scriptor. ord. Min.*

SPANGENBERGIUS (IOANNES), gente *Calembergicus*, in ducatu Brunswicensi, obiit Eislebæ a. 1546. Magni apud Lutheranos vir nominis inter cætera edidit *Computum ecclesiasticum*, recus. Wittebergæ a. 1549 et 1554.

STOEFFLERUS (IOANNES), *Suevus* natione, *Tubingæ* diu mathesim cum magna doctrinæ laude docuit. Inter alia ejus opera exstat *Tractatus de Kalendario*. *Oppenheim* 1518 *in-fol*. Excessit auctor anno 1531. ætatis suæ. 79.

STURMIUS (IOAN. CHRISTOPHORUS), patria ex *Hippolstein* in *Palatinatu Neob.*, obiit a. 1703. annorum 68. Vir matheseos peritia clarus illam per ipsos 34. annos cum approbatione professus est Altorfiæ pluribusque editis operibus explicuit. Ex his ad rem nostram spectant, quæ pro reformato Protestantium Kalendario anni 1699, scripsit : 1°. *Computus Ecclesiæ Julio-Constantinianus perpetuus*. *Norimbergæ*. 1669 ; et 2°. *Arithmetica sacra*, recus. *Ulmæ* 1722.

SZENT-IVANY (MARTINUS), S. I., natione *Hungarus*, in paternæ ditionis villa Szent-Ivany illustri sanguine ortus a. 1633., decessit Tirnaviæ a. 1705. ætatis 72. Excellentis ingenii vir, non uno doctrinarum ac virtutum genere insignis, plura opera edidit, quorum indicem exhibet *Ioan. Nep. Stœger Scriptor. prov. Austr. pag.* 350. Ex iis huc pertinet opusculum, cui titulus : *Dissertatio mathematica chronologica*, ubi *fundamenta Computi ecclesiastici* perspicue explanat ac variis problematis Kalendariographicis egregie illustrat.

T.

THEOPHILUS, *Alexandrinus* episcopus, periodum Paschalem condidit annorum 430. in qua omnia Paschata adnotarat, quæ ab anno Christi 380. deinceps erant sequutura (1). Ex ea porro *centum observationis annos* decerptos Summo Pontifici obtulit, quorum in epistola 121 ad Marcianum S. Leo meminit (*Migne P. l. t.* 54, *p.* 1056). Cyclum autem illum ad 95. annos *Cyrillus*, Theophyli nepos ac successor, contraxit. Quæ Theophylus ad rem nostram scripsit, exhibet *Migne, P. gr. tom.* 65 *p.* 47. Exstat et *Prologus Theophili Al. eppi.*

(1) Sunt tamen, qui putent periodum Theophyli fuisse centum annorum. Cfr. *Migne, P. l., t.* 54., *p.* 1056.

ad Theodosium imp., de sancto Pascha apud *Bucher. de Doctrina temp. pag.* 471.

THEOPHILUS, *Cæsareæ Palæstinæ* episcopus, Irenæo et Victori ætate par, scripsit nomine synodi Cæsariensis *epistolam super quæstione Paschali*, cujus mentionem faciunt *Euseb. Hist. Eccl. lib.* V. c. 23. (*Migne P. gr. tom.* 20 *p.*47.) De quæstione Paschali in Cæsariensi hac Theophili synodo habita conferri debet *Epistola Philippi de Pascha*, apud *Bucher., l. c*, *p.* 469. quæ legitur inter opera *Ven. Bedæ* (*Migne Patr. lat. tom.* 90, *pag.* 607) sub titulo : *de Ordinatione Feriarum paschalium per Theophilum episcopum Cæsariensem ac reliquorum episcoporum synodum.*

THEOPHILUS MARTIUS, *Italus, Senensis*, monachus *Casinas*, obiit a. 1586. Ejus supersunt : 1° *Tractatus de nova reformatione Kalendarii*; 2° *Consultationes super eadem reformatione ac ejus difficultatibus*; 3° *Narratio de controversiis super Kalendario.* Vide plura apud *Armell. Bibl. Cas. part.* 2.

TOMBA sive TUMBA (Antonius), *Italus, Fanensis*, ordin. Minorum, præter *Ordinem perpetuum recitondi divinum officium* edidit italice *Istruzione del Computo ecclesiastico per gli articoli, cioe per le giunture delle mani di tutto quello, che fa bisogno per aver le feste mobili perpetuamente colla Tavola perpetua de Novilunj. Florentiæ* 1642. *in*-4.

TORNAMIRA (Franciscus Vincentius), *Navarrus*, Moræ toparcha, scripsit : *El Kalendario Gregoriano, Pampelone* 1591. *in* 4. Cfr. *Nic. Anton. Bibl. Hispan. nov. tom.* I. *p.* 498.

TOURAINE (Michael), in Galliis *parochus*, tractatum composuit, quo Gregorianum Kalendarium mendacissimum ostendere conatur. Opusculo suo hunc posuit titulum : *Traité des instructions du Calendrier universel et perpétuel, qui démontre la juste et véritable durée des révolutions du Soleil et de la Lune ; ouvrage nécessaire à l'Église et utile à tout le monde, par Michel Touraine, prêtre-curé de Margency. Paris* 1705. *Trivultianorum Patrum de eo judicium* vide *art.* 48. *mense april.* 1706.

TRIGAULTIUS (Nicolaus), *Belga*, patria *Duacensis*, in missione Sinica obiit a. 1628. annorum 57. Celebrioris vir nominis — inter rerum Sinicarum scriptores præsertim, — quam a nobis laudari debeat, scripsit etiam lingua Sinensi *de Computo ecclesiastico, per quem*

Christiani Sinenses indagare possunt festa et jejunia Romanæ Ecclesiæ.

TRIVULTIANI (1) Patres S. I. primo anno sæculi superioris mense januario edere cœperunt *diarium literarium : Mémoires pour l'histoire des sciences et des beaux-arts, recueillis par l'ordre de S. A S. Mgr le Prince souverain de Dombes ;* opus varia selectaque omnium literarum eruditione refertum, ubi etiam multa de Computo ecclesiastico.

V.

VALENCIA (Hieronymus de), auctor *Hispanus* sæculi XVII. Ejus *Arte de Computo* (cum *vocabulario ecclesiastico*) laudat *Nic. Anton* in *Bibl. Hisp. nov. tom I. p.* 608.

VAN EVERBRŒCK. Vide EVERBRŒCK.

VASQUEZ DEL MARMOL (Ioannes), *Hispanus, Granatensis,* floruit sub finem sæc. XVI. et initium XVII. Vir, ut ait *Nicol. Anton. l. c. p.* 791. *varia doctrina bonorumque artium studio non vulgari,* inter cæteros libros edidit : *Arte y regla para aprender a rezar el Oficio segun el Breviario reformado, y para entender el Computo y Kalendario Romano. Pinciæ a.* 1605. *in*-8.

VEGA (Ludovicus de la), *Hispanus,* in *Cordubensi ecclesia* cæremoniarum magister, scripsit, *Nicol. Anton.* teste *op. cit. t. II. p.* 68 : *Kalendario perpetuo.*

VEGLIA (Petrus Dionysius), *Italus,* ord. Servorum B. M. V., computista sæc. XVII., sermone patrio edidit : *Computo Ecclesiastico sopra le pieghe, e nodi delle dita. Perusiæ a.* 1626. *in*-12.

VERIANELLUS (Dionysius), *Italus,* præter alia edidit librum, cui titulum fecit : *Summarium propositionum et responsionum contentarum in suo libro, cui titulus : Clypeus veritatis, seu Defensio apologetica adversus vindicias Michaelis Manfredi, epistolam Petri Petit in discussione, supputatione Paschatis, et in tribus dialogis Savinii Muti contra vindicias et oppositiones Petri Kavinæ, etc. Romæ a.* 1668. *in-fol.*

VICTOR, S., ab anno 193. *Romanus* episcopus, epistolas ad plures per Orientem et Occidentem episcopos scripsit *de Celebratione Paschatis,*

(1) *Trevultium, Trévoux,* urbs parva Galliæ, in Bressia provincia, olim Dombensis principatus caput.

de quibus cfr. *Euseb. Hist. ecc. lib. V. c.* 24. (*Migne P. gr. t.* 20. *p.* 498.), et *S. Hieronym. de Viris ill. c.* 34.

VICTOR, episcopus *Capuanus*, *Trithemii* sententia *de Scriptor. ecc. c.* 182. *in Scripturis sanctis et in sæcularibus literis sufficienter imbutus, theologus et Computista egregius*, scripsit *Cyclos Paschales*, quibus Victorii canonem Paschalem impugnavit. Claruit medio sæculo VI. Habentur aliqua ex ejus operibus in *Patrol. lat. Migne tom.* 68. *p.* 251.

VICTORIUS (*al.* VICTORINUS), natione *Aquitanus*, patria *Lemovicensis*, calculis mathematicis exercitatissimus, claruit a. 457. quo anno ad Hilarium, Romanæ Ecclesiæ archidiaconum, scripsit *Canonem Paschalem* duabus quasi partibus constantem : prima supputandi Paschatis methodum accuratam tradit ; altera supputationem annorum 430. Paschalem ab anno Christi 28. ad an. 457. in tabulas redactam adjunctis anno cuique consulibus. Canonem istum tanti habuit Ecclesia Occidentalis, ut in synodo Aurelianensi IV., an. 541., sanctum Pascha ex illius calculis ab omnibus sacerdotibus deinceps celebrandum decerneretur (*Hardouin. tom.* 2. *p.* 1436). Hunc canonem amplissimis commentariis illustravit *Bucherius*, vir, ut ait *Sotvellus in Bibl. Soc. Jesu*, *multæ lectionis, in annorum temporumque calculis subducendis versatissimus: Antverpiæ, typis Plantinianis a.* 1633. *in-fol.*

VILLA DEI (ALEXANDER DE), patria *Dolensis*, ord. Minorum, vir certe undecunque exercitatus, grammaticus, philosophus, astronomus et calculator insignis, Claruit Parisiis a. 1209. *al.* 1240. A *Trithemio de Scriptor. ecc. c.* 463. scripsisse fertur opus *de Computo Ecclesiastico*. Cfr. etiam *Oudin. de Script. ecc. t.* 3. *p.* 154.

VOLS (ERNESTUS), S. I., natione *Germanus*, patria *Raggerspurgensis* in *Styria*, obiit a. 1720. ætatis 69. Vir fuit magno ingenio in philosophia, jure sacro ac theologia clarus scripsitque præter alia, quæ percenset *Joan. Nep. Stœger Script. provinc. Austriæ. p.* 384., *Institutionum mathematicarum lib. III. Viennæ a.* 1714. In ultimo libro Kalendarii recensentur partes, enarratur correctio, epactarum evolvitur constitutio et universi Computi ecclesiastici forma describitur. Conferri de hoc opere possunt, quæ habent *Acta eruditorum Lipsien. ad an.* 1716. *mense junio, pag.* 281.

W.

WEGNER (Gottofridus), gente *Silesius*, natus a. 1644. obiit 1709. Vir apud Lutheri asseclas multis editis operibus clarus, scripsit etiam commentarium *de Festis mobilibus. Regiomonte a.* 1700.

WEIDENBACH (A. I.) ante aliquot annos edidit *Calendarium historico-christianum medii et novi ævi, Ratisbonæ* per *Jos. Manz* : opus ad vitam perutile, iis præsertim, quibus ad manum non sunt majora volumina de Computo ecclesiastico.

WEIDLER (Ioan. Frideric.), *Thuringus*, mathematum superiorum in academia *Wittebergensi* professor, multorum auctor librorum, pro Kalendario reformato Protestantium scripsit libellum *de Dissensu emendatæ temporum formæ Statuum Germaniæ Protestantium a Kalendario Gregoriano a.* 1724.

WEIGEL (Erhardus), *Ienæ* diu mathesim cum laude professus, *in Actis eruditorum Lipsien. an.* 1708. *mense januar. p.* 33. reformationis *Kalendarii Protestantium fax et tuba* dictus est. Obiit a. 1999. ætatis suæ. 74. Ejus est *Memoria temporum. Ienæ* 1669.

WICPERTUS, computista sæculi XI., librum *de Computo* scripsit qui tamen excidisse fertur a *Pezio Dissertat isagog. in tom.* 2. *Thesaur. anecdot. pag.* XXVI.

WIERAMMUS, calculator valde industrius sæc. XII. *Computum de Beda excerptum* confecit, cujus initium legitur apud *Pozium l. c.*

WILFRIDUS, patria *Ripponensis*, in Anglia septentrionali, monachus in cœnobio S. Hildæ, deinde archiepiscopus *Eboracensis*, obiit 710 *al.* 711. Exstat ejus tractatus *de Catholico celebrandi Paschatis ritu*, qui in epitaphio ita memoratur :

Paschalis qui etiam solemnia tempora cursus
Catholici ad justum correxit dogma canonis,
Quem statuere Patres dubioque errore remoto
Certa suæ genti ostendit moderamina ritus.

WITHREDUS, gente *Anglus*, presbyter floruit sæculo VIII. A *Balæo de Scriptor. Angliæ cent.* x. c.3., aliisque fertur scripsisse libellum *de Celebratione Paschatis.*

WOLFIUS (Christianus), gente *Silesius*, patria *Vratislaviensis*,

obiit an. 1754. ætatis 79. Vir omnigena scientia instructissimus plurima opera edidit, e quibus hic memoratu digna sunt *Elementa Matheseos universæ*, in quoram *tom.* II. tradit, quæcunque ad *Computisticam* atque ad Kalendarii emendationem referri possunt. Confer *Acta eruditorum Lipsien. ad an.* 1716 *mense feb. p.* 56.

Z.

ZALLINGER AD TURRIM (IACOB. ANTON.), S. I., natione *Tirolensis*, patria *Bulsanus*, duorum clarorum virorum *Joannis Baptistæ* (nat. 1731.) et *Francisci Seraph.* (nat. 1743,) in sæculo frater, in religione sodalis et in cathedra academica collega, vir magna et illustri laude philosophiæ, jurisprudentiæ ac theologiæ merito celebratus, pie decessit Bulsani a. 1813., ætatis 78. *De Chronographia* egregium tractatum edidit qui in aliquibus editionibus *Institutionum Eccles. publici et privati* ejusdem auctoris est *lib.* II *subsidiarius*:

ZAMORA (IOANNES DE), gente *Hispanus*, domo *Carthaginensis*, instituto vitæ religiosus ordinis S. Francisci, floruit sæc. XVII. scripsitque hispanice *Kalendario perpetuo*, *Burgis* 1603 in 4. Alia ejus opera vide apud *Nic. Anton. Bibl. Hispan, nov. tom.* II, p. 798.

ZARLINUS (IOSEPHUS), oriundus *Cladia fossa (Chioza)*, quæ urbs est in insula parva maris Adriatici (olim ditionis Venetæ), vir eruditione et doctrina liberali excellens, obiit a. 1599. In causa reformationis Kalendarii edidit in lucem : *de Vera anni forma*, *seu de Recta ejus Emendatione*, *Venetiis* 1580.

ZECH (FRANCISCUS), S. I., natus *Ellingæ* in Frankonia a. 1692., vir utriusque juris doctrina ornatissimus, ex Œnipontana sacrorum canonum cathedra ad Ingolstadiensem anno 1743. translatus, plures libros typis publicavit, e quibus peculiarem mentionem merentur *Institutiones juris canonici* sex tomis comprehensæ. *Regulas Computi Ecclesiastici* copiose tradit *tom.* 3. *sect.* 2. Auctor ætate et meritis gravis obiit Monachii a. 1772.

AD CAP. II DE NOVA ANNI CORRECTIONE

SUPPLEMENTUM.

Dum ultima hujus Commentarii plagula typis exscriberetur, communicatæ nobiscum sunt literæ inclyti collegii eruditorum Francofurdiensium, cui nomen : *Das freie deutsche Hochstift*, ad celebriores Academias Germaniæ datæ, quibus Francofurdienses, quid de nova illa, quam cl. D. Mædler in adjecto commentario (1) suaserat, intercalandi methodo alii sentiant, exquirunt. Erat autem Torpatiensis professoris commentarius hoc ferme exemplo :

1. Quemadmodum e Kalendariographia a variis populis magis minusve perpolita conjecturam merito facimus, quantum ii in literis artibusque fuerint eruditi; sic qui nobis mortuis futuri sunt hominibus curæ a nobis in rationem temporum collatæ argumento erunt quantum in diversis artium disciplinarumque studiis sæculum hoc nostrum profecerit. Seræ igitur posteritati opinionique de nobis suæ debemus, ut subtiliores observationes astronomicas in diligentiorem Kalendarii castigationem conferamus sicque communi per omnia serviamus utilitati; nostræ nimirum existimationi, posterorum vero commodis curam habentes.

2. Præstituta secundum supputationes *Lehmanni* media quantitate anni tropici

$$365.d.\ 5.h.\ 48.'\ 45.'' = 365 \tfrac{31}{128}$$

contra auctores Kalendarii Gregoriani, qui eam fecerant juxta Alphonsinos

$$365.d.\ 5.h.\ 49.'\ 12.''$$

ac proinde emergente differentia 27.", quibus annus Gregorianus superat verum annum medium, Gregorianam anni formam adeo vitiosam censet, ut jam prædicat, quam intolerabilem confusionem ea sit tem-

(1) *Denskchrift des Herrn Kais. Russ. Staatsrathes Prof. Dr Mædler. Dorpat.* 13. *novemb.* 1863.

porum successu invectura ; post annos 300,000. nimirum, Natalitiis Domini in dies vernos, festo Pentecostis autem in menses messorios retrolapsuris.

3. Rejiciendæ itaque Gregorianæ methodo novam intercalationem in hunc modum substituit :

a) Quod Gregorius decrevit, ut in quadringentis quibusque annis primi quique tres centesimi sine bissexto transigerentur, quartus vero quisque esset bissextilis, corrigendum seu potius antiquandum id esse contendit, ejusque loco.

b) Cyclum annorum 128. assumendum proponit (1) eoque evoluto intercalationem diei embolimæi omittendam esse suadet. Hujus periodi annorum 128. initium ducatur ab an. 1900.; anni deinde exacte divisibiles per 4. omnes bissextiles erunt usque ad an. 2028., qui pro communi habebitur, et sic porro anni communes erunt omnes hujus formæ 1900. + n. 128.; centesimi contra regulæ communi subjacebunt.

c) Festa mobilia quod spectat, licet circa eorumdem rectam celebrationem nonnisi per generale omnium christianarum confessionum Concilium statui quidquam posse autumet, putat tamen recedendum a canonibus Nicænis esse decernendumque, ut Pascha semper unius hebdomadis, h. e. septem dierum, spatio (ut prima Dominica Adventus) agatur.

4. Hac ratione credit convenire tandem inter Orientales et Occidentales de communi eaque genuina Kalendarii forma posse. Asserit vero Societas literaria Francofurdiensis, novas adesse spes fore, ut Alexander II., imperator Russiæ, rectam hanc temporum rationem assensu suo comprobare dignetur.

Hucusque commentarius cl. D. Mædler, quemadmodum is in memoratis literis Francofurdiensibus exstat.

Etsi autem nostræ de nova methodo sententiæ plene explicandæ in præsens haud possimus immorari, subjungimus tamen hic paucas nonnullas extemporales et obiter sub manu natas annotationes, quas velim ut candidus lector pro sua æquanimitate æqui bonique faciat.

Initio igitur præstituto a cl. D. Mædler canone, ex diversarum gen-

(1) Quum anni quantitas media putetur $365 \frac{31}{128}$ d., necessario sequitur, periodum annorum 128. constare debere annis bissextilis 31. et communibus 97.

tium anni Kalendariique ratione diligenter perpensa ferri judicium de literarum artiumque cultura posse, jure merito inferimus, in designanda recta anni forma atque in tuenda genuina Kalendarii methodo rem Ecclesiæ catholicæ præ cæteris christianis confessionibus hucusque superiorem fuisse.

Deinde cum eodem cl. professore consentimus, anni intercalationem (quum ea sit Ἐμβολιμῆς ratio ultima, ut temporis cum motu solis Ἐφάρμωσις, ut Græci dicunt, obtineatur), quo minor, quo itidem expeditior, quo denique in annorum periodorum defectibus sarciendis verum propius assecuta fuerit, eo et meliorem extituram.

Tertio tamen negamus, Gregorianam methodum hisce dotibus carere vel ex ea, adæquate sumpta et rite intellecta, illa confusionis incommoda emergere, quæ a cl. D. Mædler memorantur. Etenim ex authentica *Christophori Clavii* interpretatione apparet, tantum abesse, ut alienum a Gregorii PP. XIII. mente dici debeat, sæculorum successione civilium annorum cum naturalibus ἐφαρμογήν per extraordinariam diei intercalationem instaurare, ut potius ejusmodi casum prævidens occurrenti defectui medendo hujus intercalationis medium ipse in antecessum suaserit ac præscripserit; retenta cæteroquin consueta ἐμβολιμῆς forma (1).

Unde *quarto* censemus retinendam omnino Gregorianam intercalandi rationem curandumque, ut mens Gregorii exacte impleatur. Id vero — in memorata hypothesi mediæ quantitatis anni tropici — eo fieri modo posse credimus, quem doctissimus D. *E. Heis* in suis ad Francofurdienses hac de re datis responsis (2) suggessit, scilicet, ut — servatis quoad cæteros periodos Gregorianis intercalandi legibus — ab anno 3200. post singulos annos 3200. unus pro non bissextili habeatur, ut adeo bissextis adnumerandi non sint v. g. anni 3200., 6400., 9600., etc.

Quinto sedem Paschatis quasi *immobilem*, h. e. intra septem dierum spatio figendam, quod spectat, id quum sæculis superioribus jam fuerit a nonnullis computistis contra decretum Concilii Nicæni frustra propositum, neque nunc recipi ab Ecclesia catholica posse arbitramur.

(1) *Romani Calendarii explicat.*, lib. v, cap. 17.

(2) *Denkschrift des Herrn Prof. D^r Eduard Heis, mit Rücksicht auf die Denkschrift des H. D^r Mædler. Münster*, 11. *april* 1864.

Quod *sexto* tandem de propensissimis studiis Alexandri II., imperatoris, in castigandam vitiosi Kalendarii Juliani formam Francofurdienses affirmant, id certe comparatum sic est, ut nobis nihil eo optatius potuerit accidere, præsertim quum provinciis catholicis antiqui regni Poloniæ, quæ inde a temporibus Stephani Bathorii, regis Poloniæ, emendatum Kalendarium jam habuerant, in priori divisione regni Poloniæ vero cum Russia incorporatæ sunt, errores Kalendarii Juliani iterum obtrusi sunt (1).

(1) Cfr. *Commentar.*, pag. 61. not. 1.

ERRATA.

Pag.	*lin.*		*corrige.*
12	2	᾿ανανεύω	᾿ανανεόω
22	24	quoque	quodque
25	15	desideret	desineret
34	19	Vesper	pyrois
35	17, col. II,	Sabbati	Saturni
—	23	Apol.	Ad nationes
40	16	Cornicutata	corniculata
41 not.	2	Mortis	Martis
47	3	quavis	quamvis
61 not.	5	Felsensi	Telsensi
129-130	Typotheta tabulam omisit, qua differentia assignatur, quæ inter dies utriusque Kalendarii per annum intercedit. Cfr. pag. 138 lin. 19.		
131	3	ἐξαιρεσίμους	——μοι
—	19	solvat	solvant
136	25	maturæ	mature
146	12	Astque	Ast quæ
148	27	λοζὸς	λοξὸς
162	25	docentes	docentis
271	23	supra	infra

Cæteros errores lectorum judicio corrigendos, imo — propter longinquiorem typum — eorundem comitati condonandos relinquimus.